A354 10
2 Σ. – 11.
1

[illegible] IV. The plates numbered IV same explanation but different
figures. One of them should be VII. Otherwise [illegible]
„ V Plate IV duplicated. [illegible]

RHODE ISLAND HISTORICAL SOCIETY

Want Part IV for variant plate IV

R. I. HISTORICAL SOCIETY
RHODE ISLAND HISTORICAL SOCIETY PROVIDENCE, RI



PARS QVARTA

INDIÆ ORIENTALIS:

QVA

PRIMVM *varij generis Animalia, Fructus, Arbores: Item, Aromata ſeu Species & Materialia: Similiter & margaritæ ſeu vniones, ac gemmarum ſpecies pleraq; , ſicut in* INDIA *tum effodiantur, tum generentur; quo itidem in cenſu, pretio & appellatione ſint, accuratè deſcribuntur.*

Per

IOANNEM HVGONEM LINTSCHOTANUM, & nonnullos alios.

Deſcriptioni huic adiectæ nonnullibi ſunt Annotationes Clariſſ. Dn. BERNHARDI PALVDANI Doct. apud Enckhuſanos Medici, apprimè vtiles & eruditæ.

SECVNDO: *Nouiſſima Hollandorum in Indiam Orientalem nauigatio, ad veris Anni 1598. introitum ſuſcepta, & quatuor exinde reducibus nauibus menſe Iulio An. 1599. confecta, exponitur.*

Omnia ex Germanico Latinitate donata, ſtudio & opera

BILIBALDI STROBÆI SILESII.

Et inſuper

Viuis & artificioſiſſimis in ęs inciſis Iconib. illuſtrata & edita à

IO. THEOD. & IO. ISRAELE *de* BRY, *fratribus.*

Francofurti, apud MATTHAEVM BECKER. M. DCI.



RPJCB

ILLVSTRISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FRIDERICO IV. COMITI Palatino ad Rhenum: Sacri Rom. Imp. Archidapifero, & Electori: Duci Bauariæ, &c. Domino noſtro Clementiſſimo.

ILLVSTRISSIME & potentiſsime Princeps, Elector, Domine clementiſsime: prodiit ante triennium accuratione noſtra rerum in regno Congico geſtarum notatarumq́; & artificioſis iconibus æneis expreſſarum hiſtoria, propter rerum nouitatem, raritatem & varietatem cognitu lectuq́; iucundiſsima ſimul ac vtiliſsima. Iſtius conſignationis cum præludium aut primam ſaltem (quæ tum quoque ſola edebatur) partem Illuſtriſsimæ T. Celſ. tutelæ & patrocinio inſcripſiſſemus: tàm pronis & clementibus vlnis eam Illuſtriſsima T. Celſ. illicò amplexata eſt, vt ſingulari omine quodã tàm ſacrum opellis noſtris patrocinium obtigiſſe, videretur nobis haud immeritò. Etſi verò hac vnica Illuſtriſsimæ T. Celſ. felici auſpicio impetrata Gratia intimè gaudere, & gratulari nobis de ipſa apprimè potuiſſemus: nihilominus tamẽ & miſsitato nobis inſuper peramplo munere veluti quodam ſingulari auctario, Illuſt. T. Celſ. noſtram de ſe fiduciam pleniſsimè confirmare, benignè cõplacuit. Quod quidem, cum & præter quæſitum noſtrum venerit, & omni noſtro merito citra vllam exceptionem longè maius ſit: quid amabo aliud, niſi vtroque illo vinculo Illuſt. T. Celſ. tùm nos ipſósmet, tùm noſtra vniuerſa in ſeruitia & ſubiectionem humillimam ſibi clementer iugare & deuincire voluiſſe dicemus? Plagij ergò quid ſimile

nos facturos, & ſimul infame turpis ingratitudinis crimen admiſſuros arbitrati ſumus: ſi, cuius operis partem primam q. caput Illuſtriſſimæ T. Celſ. humillime nuncupaſſemus, eidem non cæteras quoque omnes, veluti appertinens corpus, addiceremus, ſolenniq́ oblatione proprias faceremus. Accipe igitur Illuſtriſſime Princeps, placido tùm vultu tum animo, quicquid vſpiam rerum Congicarum Latio ſermone redditum, & à nobis hactenus euulgatum eſt: Libros nimirum ſeu partes quinque, rerum certe admirandarum indices, & ad annum, hunc proximè prægreſſum vſq́ continuata narrationis ſerie excurrentes. Quarum editio, cùm propter ingentes ſumptus & impenſas, quæ requirebantur, ſimul & vna vice à nobis adornari non potuerit: operas diuidi, & in plures nundinas partiri omninò neceſſe fuit. Quod & ipſum tàm diuturnum temporis interuallum in cauſa fuit, cur ex conſilio priuato nuncupationem hanc apud Illuſtriſſimam T. Celſ. nunc iteraremus aut innouaremus. Quam vt clementi & æquo animo Illuſtriſſimam T. Celſ. laturam planè nobis perſuaſum facimus: ſic eidem T. Celſ. vitam longæuam, valetudinem baſilicã, imperium pacatiſſimum, ſubditosq́ feliciſſimos deuotiſſimè precamur & optamus. Francofurti ad Mœnum, 6. die Aug. Anno 1601.

Illuſtr. T. Celſ.

Humillimi clientes

IOAN. THEOD. & IOAN. ISRAEL de BRY fratres.

CAN-

CANDIDO ET BENEVOLO Lectori S.

VERISSIMVM eſt, Candide & beneuole Lector, quod quidam ait: Hominem ad laborem, non ſecus ac volucrem ad volandum conditum eſſe. Cuiq; verò ſua priuatim vocatio, ſuum munus aſſignatum eſt: vt ſtudia literatis, commercia mercatoribus, mechanicis opificia, agricolis ruſticatio, &c. quæ ſingula & vniuerſa hoc modo in eum primò finem inſtituta ſciamus, vt tot, tantisque, atq; adeò diuerſis donis, quibus humanum genus abundè cumulatum eſt, beneficentiſſimi Dei, largitoris inexhauſti, ſanctiſſimum nomen celebraretur, & pariter eidē, ceu vni, vero & æterno Deo, ſapientiſſimo rerum omnium creatori, perpetuæ laudes, & gratiæ indeſinentes à nobis perſoluerentur. Deinde etiam prudentiſſimo Dei conſilio hæc ita diſpoſita ſunt in exemplum proximi, ne torpore & otio, inhabiles, effrenes, diſſolutique redderemur: Cum otium radix & origo omnium malorum, atque adeò puluinar Satanæ ſit certiſſimum, ſicut quotidianis euentibus id abundè docemur, nec longiore huiuſce rei deductione hoc loco opus ſit.

Inter cæteras verò artes, humanis ſtudiis excultas, Deus quoque præſtantiſſimam & ſubtiliſſimam pictoriam & cælatoriam mentibus noſtris inſtillauit, vt ex his maieſtatis illius immenſitas eò clarius & nitidius effulgeſceret. Harum etenim artium beneficio hominum oculis q. ad viuum præſtitui & præſentari queunt illæ quoque res, quæ millenis aliquot milliaribus procul à nobis in diſtantiſſimis regionibus & ſunt & geſtā ſunt: quarum omnium notitia abſque harum artium beneficio nobis abſcondita eſſet. Nam etſi ex parte quadam literarum quoque monumentis iſta talia ad nos manare queunt: nihilominus tamen omnia non ſecus ac mortua noſcuntur, niſi picturæ induſtria q. animam accipiant, & ex ſe aliàs obſcuriſſima illius beneficio abundè illuſtrentur. Per hanc enim ita viuè & accuratè oculis humanis geſta omnia ſubiiciuntur, vt q. incoràm introſpici, & à nobis ipſis geri agitarique videantur.

Cum itaque Deus Opt. Màx. ad hanc artem diuina ſua gratia nos quoque clementer vocauerit, & occaſionem inſuper, Indicam hanc hiſtoriam in lucem edendi, nobis commodam monſtrauerit: ob hanc cauſam, vt noſtris ſimul promiſſis ſtaremus, & tum hiſtoriæ tùm artis amatoribus abundè gratificaremur, nec vlli labori, nec impenſis etiam grauiſſimis parcere voluimus.

Hoc ergò in libro, qui Indiæ Orientalis pars quarta eſt, beneuolo lectori à nobis offeruntur, primò omnis generis animalia, aues, piſcesque: nec minus omnifariæ plantæ, arbores, frutices, radices: & tandem multiplices gemmæ & pretioſi lapides, deſignatione dilucida addita, quomodo & quibus in locis naſcantur, quo pacto probari aut æſtimari debeant, & qua appellatione itidem notentur. Quæ omnia continuo ordine in libro hoc, quem Belgica lingua primò Iohan Huygen edidit, & accuratis annotationibus poſteà clariſſimus Doctor Bernhardus Paludanus illuſtrauit, tradita reperiuntur.

His deinde acceſſerunt etiam plantæ & fructus illi, quos Hollandi nauigatione illa, quam Anno 1595 in Iauam inſtituerunt, offenderunt & cognouerunt: quorum aliqui in Ioan. Huygen deſcriptione obiter quidem tacti, ſed non explicatius traditi ſunt. Poſtremò quoque addita eſt nouiſſima Hollandorum in Indiam Orientalem nauigatio, An. 1598. & 1599. confecta; qua, quicquid vſpiam ab illis geſtum viſúmque ſit, breuiter & perſpicuè traditur.

Ex hac itaque huius hiſtoriæ parte beneuolus Lector non minus, quam ex cæteris prioribus omnibus, voluptatis & delectationis captare plurimum poteſt, propter rara, inaudita & mirabilia quædam, quorum in hac hiſtoria mentio fit. Nam, cuinam vnquam vſpiam hominum fides fieri queat, niſi viuis teſtimoniis res cōfirmari poſſet, cancros tātæ molis & vaſtitatis reperiri, vt homines audacter adoriri & oppugnare ſuſtinerent, adeò, vt hi ad vitæ ſuæ tutamentum congeſtis præaltis vallis ſeu aggeribus, & fortibus diſpoſitis excubiis opus habuerint? Porrò quis credat facilè, in Mauritij Inſula ab Hollandis tam grandes & portentoſas teſtudines repertas eſſe, vt vna earum binos Hollandos ſuo dorſo conſidentes, tanta facilitate progrediens geſtarit, quaſi ne minimo onere grauata fuiſſet? Imò animal hoc eoúſque increſcere & augeri, vt in vnà illius teſta, decem Hollandi deſidere, & vnà epulari commodè potuerint? Quæ aſſertio quidem omnibus præter veritatem eſſe videri poſſet, niſi, qui ſuis oculis id vidiſſent, adhuc in viuis agerent, & Hollandi expreſſa & infallibilia rerum documenta ex illis locis vnà ſecum attuliſſent.

Nec admiratio minor eſſe debet illorum terræ naſcentium, quorum & varietas infinita, & ſpecies inaudita hac hiſtoria deſcribitur. Quæ ſi quidem nobis nondum omnia cognita & explorata exiſtant: viribus tamen & efficacia ſua, Indicis illis, nobis iamdudum cognitis, non inferiora ſunt: adeò vt noſtratibus quoque longè nobiliora & præſtantiora cenſeri debeant.

Quæret hoc quis forte loco & admirabitur, quid ſit, quod DEVS rerum vniuerſarum creator, Barbaris his & impiis gentibus, tot præſtantia dona impertiuerit, quibus nos tamen, qui Chriſti nomen profitemur, omninò priuauerit: cum contrà illis nos digniores ſimus, & pariter vſum veriorem æſtimemus, & maiori cum gratia agnoſcamus, quam gentes illæ, quæ talia vilia, abiectaque, imò penitus q. deſpecta habent? Deum verò iſtiuſmodi res non æquè in noſtra ac illa gentium terra producere poſſe, non ſaltem impium, ſed & blaſphemum ſit dicere: cum, qui omnia ex nihilo creauit, & qui manu ſua omnia concluſa habet, quiq; creaturis & exiſtentibus omnibus ſolo nutu imperat, abſolutè & citra exceptionem omnem omnia facilè præſtare queat. Quod verò populos iſtos fructibus his mirificis peculiariter præ nobis donatos voluit; ex hoc primò colligi fas eſt, omnipotentem & miſericordem DEVM, ſua dona neutiquam, vt nos homines, diſtribuere: qui his, nobis quos malè velle ſcimus, aut quauis iniuria ab illis affecti ſumus, nihil vſpiam ſani aut commodi cupimus, ſed improbo affectu diras omnes iiſdem imprecamur. Talis, inquam, Deus non eſt, ſed abſolutè bonus, miſericors & beneficus: qui ſolem ſuum ſuper tùm malos tùm bonos exoriri facit: qui gratiæ ſuos radios tàm illis impertire ſolet, qui nomen eius nondum agnouerunt, quam his, qui illud venerantur, colunt, adorant. Quod verò iſthæc talia non nobis quoque vniuerſa naſcantur, peccata noſtra enormia in cauſa ſunt: quibus adeò excæcati & torpefacti ſumus, vt magnalia Dei aut omninò contemptui habeamus, aut ea, frigidius, quā Chriſtianos decet, æſtimemus & expendamus. Deus ergò ab iſto veterno nos q. excitare, & in extremos mundi angulos exigere aut expellere ſatagit: vt ex ibidem conſpectis miraculis, diſcamus deinceps maieſtatem eius ardentius venerari, & ſummam eius potentiam, & infinitam miſericordiam profundius admirari. Deinde verò cum peccati noſtri grauitate eò compulſi ſimus, vt putida & inſolenti ambitione infatuati nobis perſuadeamus, ſolis nobis nóſmet ſufficere, nec

ſe,nec alieno auxilio nobis quicquam opus eſſe: mirifico hoc ſuo conſilio Deus noſtram perſuaſionem infringere, & contrarium nos præciſè docere voluit. Gentes etenim illæ, vt terras ſuas, vxores, liberoſque chariſſimos deſerant, & apud nos vitæ neceſſaria quæritent, nulla neceſſitate tenentur: cum nos tamen econtrà certiſſimo vitæ facultatumque diſpendio, neceſſitate compulſi in diſtantiſſimas illas & remotiſſimas regiones indies euagari, ſocietatem cum barbaris contrahere, eoſdemque q. pro fratribus agnoſcere & amare vel inuiti cogamur.

Poſtrema harum rerum cauſa eſt, vt Deus his ſic ordinatis nobis occaſionem otij & torporis amputet. Quod ſi enim omnibus rebus affluentes, nullis occupationibus aut commerciis obtereremur: terendi temporis occaſione exuti, otioque delibuti malorum ſtudiis occuparemur: cum, quod ſuprà quoque diximus, ex otio mala omnia profluant, & peccata promiſcuè omnia, vt & degenerationes improbæ omnifariæ q. quadam ex ſcaturigine mala emanent. Exemplo primæuus noſter nobis parens ſit. Qui, poſtquam cùm Eua diſſoluto otio perfrueretur, ab antiquo ſerpente Diabolo in peccati labem facilè pertractus aut innaſſatus eſt: vt tum pœnæ, tum cautionis loco à Deo ipſi impoſitum ſit, in ſudore vultus ſui panem quærere, & laboribus omne æuum exigere. Quod ſi etenim Deus otio delectatus fuiſſet, facile promptumque ipſi fuiſſet accurare, vt vel per ventum nobis aſſa columba veniret, noſque omnibus laboribus exempti, lautè ætatulam exigeremus. Quia verò contrarium potius præuidit, otium nobis longè grauiori damno quam emolumento futurũ, mandatum nobis dedit, vt ſtrenuè laboraremus, laboribus victum pararemus, partis proximo noſtro ſuccurreremus, & in iſtis omnibus nomen eius illuſtre, prædicaremus & coleremus: dum tandem ex ærumnoſa & laborioſa hac vita emigrantes, otio, tranquillitate & gaudio æterno perfruamur. Quod nobis ſancta & imperſcrutabilis Trinitas, æternus pater, filius & ſpiritus S. benigniſſimè impertiat. Amen.

QVARTA PARS

VT BREVIS, SIC IVCVNDA, VTILIS, ET VERA DESCRIPTIO VARII GENERIS ANIMALIVM, FRVCTVVM, ARBORVM: VT ET

ſpecierum ſeu aromatum, materialiumque: nec minus perlarum ac gemmarum cæterarum in INDIA ORIENTALI naſcentium: Quo nimirum & loco & modo quælibet, proueniant, & quo ferè cenſu æſtimari debeant.

PER

IOANNEM HVGONEM LINTSCHOTANVM Lectoris commodo & oblectationi præminiſtrata.

Caput I.

CVIVS GENERIS ANIMALIA & pecudes, quas aues, qualia item inſecta INDIA *gignat.*

VT in locis & terris orbis pleriſque, hominum commercio excultis: ſic in vniuerſa maximè INDIA pecorum, vt Boum, Vaccarum Porcorum, Caprarum, Hircorum, hiſque ſimilium diffuſi numeroſique greges reperiuntur. Quorum ob ſummam copiam, vt illa pleraque pretio viliore veneunt: Sic carnes ipſorum guſtatæ non eandem cum Europæis noſtratibus animalibus gulæ ſuauitatem offerunt: Quod ab æſtu perenni & flagrantiore ſolis, muliebri humido exhauſto, pulpæ ſubſtantia aridior, & ob id palato iniucundior obueniat. Vacca ex grege optima vna, 5. vel 6. pardauis in Goa ciuitate vt maximè redimi ſolitat. *Caro vilis pretij in India.* Boues verò in cibum ideò rarius veniunt, quòd maxima eorum pars colendis & ſubigendis agris ferè deſtinetur. Porci, oues, Capræ, & pleræque cæteræ minores pecudes pro fori & temporis ratione pretio veneunt leuiſſimo. Veruecina caro paſſim ſpreta & faſtidita, vix paucis aliquibus, & abiectioris ſaltem ſortis incolis eſculenta eſt, cuius eſus ægrotis in ſolidum interdicitur, adeò, vt porcina illius reſpectu & ſalubrior credatur, & infirmis eſitanda promptius concedatur. Sed & ouium inibi peculiare mirumque genus viſitur. *Oues mirabiles, quinque partium.* Cuius detruncata cauda totius

animalis diſſecti partem quartam & magnitudine & carnis appenſu abundè exęquat. Bubalorum etſi copia præſignis ſit: Carnes tamen eorum non niſi pauperculæ plebis culinis appetuntur. Lacte interim eorum nihilominus & dulciſſimo fluente, & paſſim à cuiuſuis ſortis hominibus in cibum ſollicitato. Per oppida toto die Sclauæ & Canoryni bubalorum caprarumq; cum lac, tum huius florem, & ex hoc paratum butyrum, diſcretis formis concinnatum venalia deferentes oberrant. Ex illo quoque caſeos premunt paruos & candidos: Cæterum ex nimia ſalitura inſuaues, aridos, & prædúros. Apri ſylueſtres, Lepores, Cuniculi ceruique aliqua quidem, ſed infrequenti tamen copia viſuntur. Gallinarum contra, caponumque, vt & perdicum, columbarum, &c. tam vber felixque paſſim prouentus eſt, vt pretio veneant viliſſimo. In Goa inſula, & illi locis conterminis omnibus paſſerum & fringillarum quidē aliquot genera diſtincta notantur: In Cochino verò & iuxta littora Malabar, nec has aues, nec minores alias vſpiā inuenire liceat. Sed & veſpertiliones numero incredibili India profert, pleraſque tam magnas aut grandes, vt commemoratio extra fidem putari queat: Arboribus inſuper, fructibuſque & herbis adeò infeſtas, vt Canorynis opus ſit, noctu cuſtodes paſſim in hortos ſuos & ſuper arbores pro arcendis illis diſponere: à quarum tamen inſultu ne ſic quidem illi ſua ſatis tutari queunt. Captas has Indiani nulla nauſea manducant: Quarum carnes ſuauitatis ſapore guſtui non minus ac perdicum gratas delicataſque commemorant. Sed & cornices itidem illic frequentes, & multitudine noxiæ ſunt: Plereque tam cicures, vt perſæpè per apertas ædiū feneſtras introuolitantes, nullo pauore cibos ex lancibus è medio aſſidentium conſpectu prædentur & eripiant. Cuius illarum audaciæ penes me quoque domeſticum exemplum eſt. Cum enim aliquando in ſuperiore ædium conclaui patulo quædam notaturus aut exſcripturus conſediſſem, cornix per feneſtram inuolans, atramenti fomitem ſeu goſſypium vi mihi extraxit, & chartas omnes abaco impoſitas fœdè maculauit. Hæ bubalorum plerunque tergis inequitantes, illorum pilos roſtris vellunt aſſiduè: Adeo, vt ibi depiles bubali pleriq; omnes compareant. Quarum ob id tædium & moleſtam vellicationem, vt euitent bubali, lacubus & fluminibus ad collum vſque ſeſe demergunt, & hac induſtria contra vim extraneam ſeſe tutari ſolent.

Volucres. *Veſpertiliones grandes, eſiles.* *Hiſtoria.*

Glirium in India copia eſt numeroſiſſima: Quorum aliqui porcellos magnitudine coæquant, adeò robuſti, vt à felium inſidiis planè tuti exiſtant. Ædibus tamē hi, in quibus ſtabulantur, valdè damnoſi ſunt. Illarum enim muros & fundamenta crebris actis cuniculis ſuffodientes, totas perſępè cum culmine diruunt proſternuntque. Sed & eorum genus aliud ab hoc diuerſum ibi notatur, paruum corpore, colore ad equorum ſimilitudinem ſubpurpureum ſeu phœniceum, quos quia odorem, moſchi ſimilem, ſpirant vel emittunt, incolæ glires odoratos nuncupant.

Glires, vt porcelli.

Sed & formicas India tanta frequentia & multitudine progignit, vt antea non conſpicatis prodigij quid ſimile obueniat. Hæ & copia & noxa ſua paſſim omnibus exoſę & inuiſæ ſunt. Quod ſi vel dapes, cibóſue, vel veſtes & lintea obiter aut negligenter recondant incolæ, dictum factum aliquot myriadibus illarum oberrantur, & arroſionibus crebris abſumuntur: Adeò, vt integer panis vno quaſi momento ab illis excauetur deuoreturq;. Cui malo hoc remedij incolę opponunt, vt ciſtas capſaſque & conditoria promiſcuè omnia tum eduliis tum veſtibus & linteis aſſeruandis deſtinata, quatuor pedibus aut columnis erecta ſuffulciant, quarum ſingulæ ſubditis ex lapide vel ligno, inſtar mactræ fabrefactis vaſis, ita immittuntur imponunturque, vt circumcirca liberæ nulli vſpiam parieti impingant aut acclinentur. Qua excogitata iuduſtria res ſuas à formicarum iniuriis ferè vindicare ſolent. Vaſa verò hæc fulcris ſubmiſſa aqua iugiter

Formicarum infeſtatio.

iugiter oppleta eſſe oportet. Quæ ſi quando per obſeruatorum incuriam vel ad tempus minimũ reſicca fiant, nec iugi vndę inſpergine compleantur, è veſtigio tanta formicarum frequentia, conditoria iſta inuaduntur, vt illis vndiquaque omnia pleniſſima ſint, adeoque pœna hæc incolis iſtis q. endemia merito videatur. Vaſcula huiuſmodi ſuis quoq; lectulis, vt dormituri ab illarũ morſibus tutiores ſint, nec minus quoque menſis aut trapezis, ad cibum quietius ſumendũ ſubſternunt. Qui Canariis auibus aut fringillis ex Luſitania, Perſia & Turcia eò importatis operam dant, ſi illas ingenio alio nullo viuas tueri poſſunt, quam ſi caueas de palis aut ſtipitibus, peluibus dictis aqua confertis, ſubnixis ſuſpendant. Quod ni factitarent, à formicis illæ admorſæ vno exemplo omnes facilè perderentur.

Stipendiarij milites, & qui de plebe inferiore alij ſunt pauperculi, redimendis huiuſmodi conditoriis non ſufficientes, panes ſuos & eſcarum reliquias (quas tamen ibi loci raras faciũt) pannis aut linteis inuolutas ex clauo parieti impacto ſuſpendunt: quos poſteà in ambitu ex ligno carbonibus, vt metas illas formicæ tranſreptare non valeant. Sed & aliud peculiare formicarum genus Indiam infeſtat, quod digiti longitudinem pręſtat, colore rubrum aut flammeum, paſſim in campis erroneum, & damnis ſuis tum herbis tum fructibus agrorum peſtilentiſſimum.

Blattarum quoque & tinearum veſtimenta deterentium numeroſa progenie India inſuper feraciſſima eſt. Quorum prouentus ibi paſſim in angulis omnibus tam grandis eſt, vt nulli incolarum plus veſtium, quam vſus exigat quotidianus, texere liceat. Aſſeruatę enim illico ab illis arroſę pereũt. A quarum iniuria nec chartas aut libros quidem repoſitos aſſerere liceat: adeò vt haud rarò codicilli & ſyngrapha, magni momenti ab illis perdantur & in nihilum agantur. His finitimi quoque cimices Indianis haud è longinquis petuntur, ſed domi ſuæ cuilibet tanta familia enaſcuntur quotidiè, vt coloniam illos aliò tranſferre, quàm indigenas latius creſcere voto longè certiore optent. Sed & inſecti genus aliud longe nocentius India nouit, volatile, apem æquans, paſſim nocentiſſimum. Id Barattas dicunt, quod plerunque ſaççharum, mel, butyrum, oleum, & res huiuſmodi alias aut oppingues aut condulces inſectatione ſua fœdare ſolitat. Idem capſis quoque aut ciſtis ſe inſerens, linteis & veſtibus damnum dat, quas alui eluuie plerunque ſpurcè contaminat. Huius animalis India tam ferax ęſt, vt paſſim omnes anguli eius ſobole peruolitentur, nec quicquam ſatis tuto contra illius inſidias reponi poſſit, quod non incontinenti illicò ſuis ouis reiectitiis, quæ emiſſa inſtar ſyrupi aut viſci rebus adhæſitant, commaculent. Adeo vt locis illis non minus ac formicæ, diuinitus immiſſa peſtis videri debeant.

Blattarum noxa.

Barattas inſectũ noxium.

In terræ huius adytis penitioribus tigres quoq; inuenire eſt. Cum tamen è contra Leones, vrſi, & huius generis feræ immanes aliæ ibi nõ producantur. De Iobolis & venenatis vermibus ſi quæras ſerpentum & lacertarum hiſq; ſimilium nulla inopia eſt. Ex quibus lacertæ prę cæteris erratiles, maceries paſſim, & domos harumque parietes frequenter ita perreptãt, vt in dormientes quandoque deſuper cadant inopinatos. Cui terrori vitando ditiores incolæ hoc medio obuiam eunt, vt lectulos ſuos velis tum per altum, tum ad latera quoquouerſum ſuccingant & præmuniant.

Iobola.

Chamæleonũ, quos ſolo victitare aëre fama fertur, ibi numerus frequens eſt: qui tamen innocui & nullis infeſti paſſim oberrant.

Chamæleon frequens.

ANNOTAT. D. PALVDANI.

Lib. 8. c. 33.

QVod Plinius commemorat; Chamæleon, q. paruus quidam Leo eſt; lacertæ ferè magnitudine: Cuius longitudo à capite ad exortum caudæ ſeptenorum octonorumue digitorum eſt tranſuerſorum: Altitudo verò ferè quinorum. Pedes ipſius tres cum dimidio digitos tranſuerſos præſtant, toti aſperi & nodoſi. Spina illius acuta & prominens eſt. Colorem variat, pro rerum, quas proximè attingit, conditione: Rubrum tamen & candidum non reddit. Pars eorum maxima aut pallida eſt, aut ſubnigra: Quorum cutis pellucida & tenuis, colores facilè omnes, dictis exceptis, induit. Oculos magna celeritate quoquouerſum, ſurſum, deorſum, & ad latera verſat, nulla tamen palpebra opertos. Solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quam aëris & roris vapidi alimẽto vtitur, &c. Hact. Palud.

Cercopitheci. *Bichos de palmeyràs, viuerra ſimilis.*

CERCOPITHECORVM in India copia incredibilis eſt: Qui palmis arboribus, Indicas nuces ſeu cocos ferentibus noxas infligunt certiſſimas. In his ipſis quoque arboribus animalcula quædam interdum viſuntur, ab indigenis *Bichos de Palmeyràs*, id eſt, beſtiæ in arboribus degentes, dictæ: Quæ animalia, viuerras dicta, quibus ex terræ cauernis abditi cuniculi exigi in venationibus ſolent, ſpecietenus exprimunt. Caudam ſciurorum ritu explicatam porrigunt; pelle aliàs ex cęruleo variegata inſignes: Quarum ex educatione indigenæ voluptatis quamplurimum captant, & tædium temporis illarum ludicris apprimè demulcent.

Pſittaci. *Noyra auis.*

Pſittacorum paſſim in ſyluis multæ turmæ obuolitant. Sed & ex Moluccanis Inſulis per Malaccam Auis alia, *Noyra* dicta, in Indiam importatur, quæ pſittaci faciem vniuerſim exprimit, quem cantu quoq; adamuſſim æmulatur, niſi quod pennis rubicundis crebrioribus veſtita eſt. Illarum vna 20. aut. 30. ferè pardauis in India venit. Quæ poſtquam cum pſittacis & aſpectus amœnitatem & garritus iucunditatem communem habeant: hoc ſibi tamen peculiare quoque vendicant, quod educatorum ſuorum aut aliàs quoque aſtantium capita & barbas vt & aures denteſque linguis ſuis blandè defricent aut allingant, quas partes ſtudioſè quaſi ad viuũ emungunt & emundant: adeò vt illarum altoribus ex his geſticulamentis oblectationis emergat haud parum. Taceo, quod acutius attendenti, coloris iucunda varietate pſittacos haud leuiter exuperare videantur. Viua ex India illarum nulla in Luſitaniam vnquam importari potuit, etſi in Portugalliæ Regis, eas auidè deſiderantis gratiam id tẽtatum pluries fuerit. Quod enim naturæ teneræ & ob id infirmioris ſint, & educationi accuratiſſimæ aſſueuerint, in via pleræque omnes deficere & intermori ſolitant.

Cap.

Cap. II.

DE ELEPHANTIS.

ELEPHANTI paſſim magno numero diuerſis in Indiæ ſaltibus inueniuntur quidem: Veruntamen eorum greges maximi in AEthiopiæ finibus poſt Mozambiquen, vbi Caffres ſeu Nigritæ incolunt, viſuntur: Vbi ab indigenis trucidati, interdum in cibum adhibentur, dentibus excuſis venum Luſitanis mercatoribus oblatis. Sed & in aliis Indiæ locis, nec minus in Bengala, præcipuè tamen in Peru magnis cohortibus vagantur. Quo loco illorum interdum duo millia tum plurimorum hominum, tum cicurum & ad hanc rem inſtitutorum Elephantorum opera, paratis ſeptis aut ſtabulis impelli ſolent. Ex quo omni grege cum centum aut ducenti ſelectiores ſecreti fuerint, cæteri vniuerſi quoquouerſum liberi ad ſpeciei propagationem rurſus emittuntur. Captos & aſſeruatos tum minis tum fame ſitique eouſque edomant, dum ſermonem eorum cæpiſſe & intelligere videantur. A quo deinceps illos lauere, & affuſo oleo frequenter linere, & officiis beneficiiſque omnibus demulcere ſolitant. Quibus ſtudiis beſtias tam mites & obſequioſas præſtant, vt ipſos homines in pleriſque, ſolo ſermone excepto, obſequiis humanis apprimè referant. Ex illis, qui in regno *Seylon* ſunt, quondam vnus captus eſt, qui totus candebat, & à *Pegu* indigenis adoratus, Elephantorum omnium Rex ſalutabatur, veneratione & titulis planè diuinis adhibitis. De hoc poſſidendo funeſtum olim bellum inter colonos *Pegu & Sion* coortum eſt, ſicut in terrarum iſtarũ deſcriptione fuſius commeminimus. Qui in *Seylon* capiuntur, cæteris omnibus, qui vniuerſo orbi noti ſunt, & ſenſibus & intellectu præſtare creduntur, vel Indianorum ipſorum iudicio & atteſtatione, qui longi temporis experientia hanc veritatem confirmatam pronunciant. Qua cauſa aliò traducti præ cæteris quoq; æſtimari & amari ſolent. Quæ officia ſeu operæ in India frequentiſſima ſunt, vt dolia, faſces, ſarcinæ, oneraque definita alia à loco in locum tranſportentur, hæc promiſcuè omnia ab Elephantis obeuntur, qui hunc in finem ſumptibus regiis quoque aluntur.

Elephantorum natura. — *Captura.* — *Domitura.* — *Eleph. candidus Peguanorũ Deus.* — *Seruitia.*

Quorum ſi quis operâ egeat, cũ illorum magiſtro ſeu moderatore de mercede paciſcitur: Qui ex tempore rem confecturus Elephanti collo reſidet, pedibus intra aures inſertis, manibus præpilatum bacillum ſeu ſtimulum ferreum geſtans, quo caput illius, eo loco, vbi teſticulos paulo ſupra auriũ conualle reconditos habet (qua cauſa quoque ex illius loci conditione facilius domantur) pungendo, leui vi belluam alias immanem domat. Elephanto ad ſarcinam geſtandam adducto, illam magiſter fune ita ligat & circumplicat, vt ex eo illa ſuſpenſa hærere poſſit. Quo facto, iuſſus à magiſtro Elephas promuſcide arrecta funem dentibus aliquot vicibus innectit inuoluitque, & propendentem extremitatem ori indit: Eoque habitu vaſis eleuatis, quo à magiſtro agitur, progreſſum facit. Quod ſi cui naui onus inferendum eſt, bellua ingreſſa illud imponit, & quæſitis lapidibus id adeò induſtriè firmat, vt loco vacillare aut reuolui haud facilè queat, dentibus adactis firmitatem prius experiens. Tormenta, & alia ferramenta grandiora, funiculis deligata, tanta facilitate proferre ſciunt, vt res ferè fidem tranſcendat. Biremes, fuſtas, carauellas & naues grandiores ſimiles in litus tam leui niſu extrahunt, quaſi nullo illæ iis oneri eſſent. Et vt compendio dicam, ſeruitiis ac rebus promiſcue omnibus conficiendis deſtinantur, non ſe-

Singulare in Eleph. teſticulis.

cus ac apud noſtrates equi, qui trahis merces & onera huc illuc ad placitum dominorum ſuorum prouehunt. Illorum cibus eſt *Oryza* aquæ permixta. Somnum vaccarum, boum, equorumq; ritu captant, genubus ad decubitum flexis compoſitisque. Cum hybernis menſibus pluuiæ increbreſcunt, ſuo quodam annuo morbo infeſtari, adeoque grauiter furere, bacchari & rabire ſolent, vt à magiſtris ſuis ęgrè coerceri valeant. Quo tempore extra ciuitatis portas aguntur, & ad arbores craſſis & ſolidis catenis ex pedibus religantur aut deuinciuntur. Ibidem cibantur: Ibidem ſub aperto Ioue ſtabulantur eouſque, dum deficiente hyeme & pluuioſo aëre conſileſcente (id quod à Septembri menſe ad Aprilem ferè exporrigitur, quo interuallo ipſis hyems exigitur) ſimul vnà furor ipſorum deferueſcat & leniatur. Quo fatiſcente, ſponte ſua ad ſe redeũt operasque deſtinatas tanta confeſtim manſuetudine exequuntur, vt mente motos illos nunquam fuiſſe iure quis arbitrari queat: In reliquum ita mites & placidi, vt non offenſorum vel aluum quis ſubire audeat citra noxam. Si quis tamen petulantior eos ludos habere, & quomodolibet offendere præſumat: illius iniuriæ vindicandæ adeo tenaces & obſtinati ſunt, vt non niſi talione reddito obliuionem eius ſubeant.

Paſtus.

Armuus furor.

Ipſorum dentes, qui genuinũ ebur ſunt, in variarum rerum ornamentum induſtria opificum ſecantur & poliuntur, vt in omnibus quidem vniuerſæ Indiæ locis, ſic maxima ex parte in Cambaia, vbi ornatus varios pręſtant. Ex eo mulieres armillas (Manillas Indi vocant) fabrefactas plerunque geſtant, ſingulis ferè bracchiis decem vel duodecim conſpicuas. Qua cauſa & magno ibidem numero tornantur, & aliundè tum ex AEthiopia, tum Mozambique, tum locis aliis vbertim importantur.

Dentes, & ex his opera ſeu ornamenta.

In Seylon inſula Peguq; Elephantorum in bellis vſus frequentiſſimus eſt: quorũ dentes adalligatis enſibus armãt, terga verò impoſitis turriculis ſupernè onerant, ex quarum ſingulis quinque vel ſex armati promicantes, aut arcubus ſclopetiſque detonant, aut igniuomis ex pice & ſulphure malleolis obuerſos hoſtes infeſtant. Ipſi aliàs per ſe Elephanti damno nullo grauiore in acie metuendi ſunt, quam quod ordines ſtationemque militũ dirimunt, & hoc pacto ſuorum inſultui quaſi viam paratiorem ſtruunt. Ex quorum tamen omni numero ſi vel vnicus retrò verſus fugam parat, tum conuerſi cæteri quoque ipſum ſuorum agmen proterunt, & ſtragem conglobati in conferta turba miſerandam edunt.

Vſus in bellis.

Glires, mureſque natiuo quodam diſſidio formidant, nec minus ipſas formicas. Quas ne promuſcidi ſe inſerant, accuratè obſeruant. Sed & ad ignis aſpectum, aut tormentorum fragorem haud modicum pauent: niſi longioris temporis aſſuetudine ad ea toleranda obfirmati ſint.

Antipathia cum muribus.

Quotieſcunque gregantur, vna, ſemper mas elatiore, fœmina verò depreſſiore loco ſtare conſpicitur. Ingredientes vel è longinquo audiri liceat, nec dum viſos: tum propter vaſtorum pedum violentum illiſum, tum propter aurium diffuſarum, quas continenter & pandunt & ſtringunt, concitatum in aere crepitum.

Sexus dignitas.

Pro corporis ſui vaſtitate ſatis agiles ſunt: adeò, vt curſu equis haud longè poſteriores ſint.

Celeritas.

Sed & gloriæ laudiſque cupiditate haud modica flagrant. Nam quoties Goæ vel exaltationis corporis, vel aſcenſionis Chriſti, vel alterius cumque deuotioris diei feſtum proceſſione publica celebratur, tum in ſolemnem comitatum quoq; Elephanti adaptantur, iunioribus prægreſſis, annoſioribus ponè ſequentibus: qui promiſcue omnes, cruces & inſignia regni Luſitanici à capite per vniuerſũ corpus coloribus natiuis depicta geſtant, ſingulis inſuper ſupra tergum quinque vel ſex buccinatores, tubicines aut muſicos alios prouehentibus: quos

Affectatio laudis fuga probri.

non

non tantum placido animo ſuſtinent, verum etiã inceſſum tanta grauitate moderantur, vt tum ornamentis illis, tum inſidentibus muſicis eos expreſſe non ſecus ac homines ſuperbire, plane conſpiciantur. Sed & hoc Goæ quondam accidit memorandum. Fuſta ſeu nauis quędam grandior in littus extrahenda fuerat. Qui id pręſtaret, Elephantus adducebatur. Opus is aggreditur: ſed primò fruſtrà, dein vires vltimas cogens conatur denuo. Iterum fruſtrà. Qua re commotus Elephantiſta criminationes in eum crebras coniectat, ignauiam & infirmitatem exprobrans, & ni inceptum opus confectum det, in contumeliam eius ſe adducturum qui id pręſtaret, alium comminans. quibus auditis tum pudore excitatus, tum ira inflammatus Elephantus, excuſſis omnibus extraneis ſuppetiis, opus de nouo tantò niſu & virilitate aggreſſus eſt, vt ex tractu illo violentiſſimo medius illico creparet, eodemque loco exanimis procideret. *Hiſtoria.*

Preterea alio quoq; tempore, cum reditum ex Cochino in Luſitaniam meditarer, & nauis noſtræ gubernaculum caſu quodam alicubi confractum in littore redintegrari poſceret: ad illud in terrã ſuppoſitis binis teretibus columnis (cylindros aut voluulos dicunt) facilius extrahendum adductus Elephantus fuerat. Cum verò & hic iuuenculus, & gubernaculi moles pondusq; longè grauius & vaſtius eſſet, quam vt ab vno illo emoueri poſſet: diſtinctis quidem vicibus aliquot illud extrahere annisus eſt fruſtra: dum tandem virium ſuarum extremum periculum faciens, rem omnẽ incaſſum citra effectum vllum ſe moliri cognouit. Dolore itaque & pudore victus, in genua ſe pronũ abiecit, planctumque & eiulatum tam profundum coorſus eſt, vt extillantibus lachrymis oculi eius vndiquaque madeſcerent. Quem cum inſuper magiſter eius in ſpectatorum gratiam cõuiciis inceſſeret, & increpationes acerbiores identidem ingeminaret, illumque, vt ad præſentium hominum conſpectum pudeſceret, iuberet: extractionem quidem iterum aggreſſus is eſt, at ſucceſſu nõ feliciore tamen, etſi neruos ad ruptionis vſque periculum intenderet. Tandem ad opem ferendam interea illi ſecundus inducebatur. Cum quo poſtquam collatis viribus clauum ex vnda in ſolidum eouſque extraxiſſet, vt ille iam voluulis ſubditis incubaret: Succeſſu tantillo illico animoſior factus, acceſſoriũ alterum tum dentibus tum capite non tantum ab operis continuatione audacter diſpulit, verum etiam ſolus poſtea machinã in commodum locum promouit. Quibus commemoratis ex exemplis cuilibet iam facile patere poteſt, quod & ingenio, & ratione, & gloriæ ſtudio hominibus non multo inferiores ſint. *Alia.*

Quæ verò in pleriſq; hominibus cum publica infamia quadã deſideratur, pro acceptis nimirum beneficiis reponenda gratitudo: eius documentum mira naturæ prudentia huic ipſi quoque belluæ indidit. Quæ non ſaltem benefactoribus ſuis ex tempore meritorum gratiam refundunt, ſed illorum memoriam ad plures quoque annos ſecum fideliter reconditam aſſeruant. Calendis Ian. Elephantiſtæ apud viceRegem, Archiepiſcopum & officiarios alios xenia pro more loci petitum, oſtiatim circumeunt. Ad quorum aulas ſeu portas vbi deuentum eſt, Elephanti cum quadam quaſi humana reuerentia ſe incuruant, modicè primum. Deinde verò, ſi quid ſtrenæ aut munuſculi acceperunt, in genua ſe totos demittunt, quaſi gratias dicturi pro honorariis, quæ magiſtris ſuo (vt perſuaſum habent) nomine collata ſint. Poſteà quoque à longo tempore, quoties ædes illas obiter prætereunt, ad ianuas illarum capite annuunt, & veteris benefacti gratiam memores renouant. A negotiis liberi iidem, nonnũquam in forum olitorium prodeambulare ſinuntur, vbi raphani, lactuca & caules venum proſtant. Ex hortulanis itaq; mulierculis, quæ belluis fautrices ſunt, illis rerũ venalium manipulos aliquot obiectant. Tempore verò illo appropinquante, quo in rabiem furoremque agi ſueuerunt: Priuſquam ſuperius dicto modo foris de *De beneficiis grati.*

arbori-

arboribus religentur, plerunque integræ ſeptimanæ ſpatio antè diſcurrere ſolent. Quas ponè conſectantes magiſtri, vt ſtipis aut pabuli quid furibundis belluis erogẽt homines inclamant: Illorum coërcendorum interim nulla facultate valentes, ſed errorem ſequi per omnia coacti. E longis tamen, populum, vt ſibi caueat, elata voce inclamitant: Cum furoris illius tempore indiſcretè quoquouerſum beſtiæ graſſentur, nullius reſpectũ agentes, nemini obuio parcẽtes, omnia, vt ſub pedes veniunt, peſſum dantes & proculcantes: Ita vt hoc ſpectaculo quidam non minus quã Hiſpani taurorum ſylueſtrium venatione ſuauiter ſaturentur, ludi interim Cataſtropha non prodeunte prius, quam ex medio populo quaterni pluresue profuſa vita theatri pretiũ appenderint. Sed ad forũ olitorium redeamus. Inter fœminas illas quædam quoque conſidebat, quæ Elephanto cuidam, quoties prçteriret, aut oluſculum aut fructus aliquos obiiciebat. Sed cum poſtea idem Elephas annuo illo & ſolenni furore correptus per vicos vrbis paſſim diuagaretur, ad forum dictum quoque obiter irrumpens, pedibus omnia, quæ obſtabant, protriuit & comminuit. Caſus iſte tumultuarius (vt fit) primo omnes in terrorem, pòſt in fugam egit, quolibet res ſuas relinquẽte, & vitæ ſeruandæ aſylum quoduis proximum arripiente. In transfugis his eadem quoq; mulier modo dicta fuerat: Quæ repentina conſternatione propè emortua, infantem vicina vanno iuxta ſe depoſitũ, reliquerat, & proximis ædibus ſibi ſalutẽ accurârat. Elephas itaque nunc ſolus in area debacchãs, & ſurſum deorſum omnia conturbans, cum iam relicto quoque infanti proximus eſſet: quantam tum matri, tum ſpectatoribus reliquis trepidationem incuſſerit, dicere his nihil attinet: Cum præter mortem infantis, & eius protritum lamentabilem nemo quicquam expectare poſſet aliud. Quid fit? Elephas in ſæuiſſimo ſui furoris paroxyſmo maternorum beneficiorum dudum acceptorum memor, leni promuſcidis apporrectæ contactu infantem humo placidè attollit, cumque in humile quoddam tectum, officinæ proximæ obditum, quaſi tutiſſimum quendam receptũ molliter decollocat: Ad furoris ſui & graſſationis importunitatem interim nihilominus deproperans. Quæ res vt cuiuis meritò admirationi, ſic ſumme comprimis matri piæ gratulationi extitit, quæ filium miſerabili internetione quaſi iam defunctum, præter ſpem omnem ſaluum & abblandientem receperat.

Hiſtoria.

Similes huic caſus in India quotidiani ſunt. Quos ex ordine percẽſere, tempore abutẽtis foret. Mihi hæc ſaltem tria enarrare exempla allubuit, quod & prç cæteris memorabilia eſſent, & expreſſum piæ gratitudinis in vaſta hac bellua & portentoſa pecude ſimulachrum apprimè depingerent. Ad cuius exemplum ſi homines quoque diuina quadam ratione à deo peculiariter donati ſuos mores & vitam componerent: ſcirent, hanc vnam ob cauſam virtutem hanc brutæ beſtiæ à Deo ſingulari conſilio inſitam, vt humanæ improbitatis q. capiſtrum quoddam eſſet, & animi ad ferorum animaliũ ductus ſimiles moderatos manſuefaciendi. Sed de ingratitudine gliſcente querimur potius omnes, quam vitanda ſtudemus.

Cap. III.

DE ABADA SIVE RHINOCEROTE.

Abada.

ABADAS ſiue Rhinocerotes India nullos fert. Gignit tamen eos Bengala & Patane, Elephantis aliquanto minores & humiliores: quorum naſus breui cornu, ad baſim craſſiore, in extremo acutiore ſubcyaneo aut ſuccandente armatus & aſper eſt, Roſtrum ſuil-

lum

...um habent:cutem vniuerſo corpore ſcabram, q.peltis ſuffartam aut inductam. Odio cum Elephantis diſcordant Vatiniano. Rhinocerotem quidam verum vnicornem arbitrantur: quod ad hunc vſq; diem ſpecies alia nuſquam apparuit: niſi quorundam fabulis & figmentis fides mancipanda, aut credendum arbitrariis pictorum pigmentis ſit.

Luſitani & Bengalenſes pro comperto narrant, apud Gangem regni Bengalæ fluuium animalium huiuſmodi magnam copiam reperiri: quæ ſi quando aquatum deſcendant, cætera cuncta animalia ad flumē conſiſtere, dum Rhinocerotes perpotarint. Quo facto demum & ipſa bibere. Bibentes Rhinocerotes commentantur cornu cum ore vnda demergere, nec alia ratione aquam haurire poſſe, cum cornu q. intra roſtri & naſi medium protuberet. Huius animalis cornu ſingularis contra venena & morbos grauiſſimos alios efficaciæ creditum, magni in India æſtimatur. Non minus illius dentes, vngulæ, caro, ſanguis, adde & fimum & lotium, & quicquid ab vniuerſo corpore eſt. Hæc omnia vt in magno pretio ſunt, ſic variorum morborum compertiſſima remedia habentur: Cuius rei veritas vel meo experimento cōfirmari poſſet. Nec tamen Rhinocerotum omnium eadem & æqualis virtus eſt aut præſtantia. Quorundam etiam cornua haud magno conſtant. Aliorum verò 200. ſæpè & 300. Pardauis venduntur: qualia vix quibuſdam in Bengalæ locis reperiuntur, pretioſiora & efficaciora reddita ab illis herbis, quæ regioni illi peculiares ſunt.

Rhinocerotis reſpectus.

Ex Rhinocerote medicina.

Sed & in Malacca, Seylon, & Bengala certum quoddam aliud genus hircorum caprarumque per deſerta loca notatur, quorum cornua contra omnem venenorum vim pro antidoto omniū certiſſima & nobiliſſima habentur. Hos incolæ *Capras de Mato*, id eſt, capras ſylueſtres indigetant. Cornua huiuſmodi in India quoq; maximi æſtimantur, propterea, quod facultas eorum mirifica in caſibus grauiſſimis comperta ſit, vel memet ipſo iudice, qui experimentū eorum feci haud ſemel certiſſimum.

Cum Philippus Hiſpaniarum Rex Anno 1581. Vlysbonæ eſſet, ſingularis honorarij loco ex India Rhinoceros & Elephantus ipſi offerebantur, qui vtroſque in Madrid Hiſpaniæ Metropolim ſecum auexit.

Et hęc hactenus de auibus feriſque animalibus huius loci dicta ſufficiant: Cum nihilominus multò plura eorum genera numerentur, de quibus tamen ſingulare nihil referri poſſit. Hæc vero quod oculis hominū quotidie oberrent, præ cæteris citra omne figmentum deſcribi conſultum arbitratus ſum.

Cap. IV.

DE PISCIBVS, ET VARIIS *Indici maris animalibus cæteris.*

PISCES India profert haud raros: et pleroſque guſtui valde ſapidos ſuaueſque. Ex his qui optimi ſunt, *Mordexyn*, *pampano* & *tatyngo* vocantur. Præter hos & alius non ignobilior eſt *Peixe ſerra* nuncupatus, qui ſalmonum more in tomos ſeu teſſellas ſectus cōſalitur. Hoc pacto conditus linguæ admodum gratus euadit: cuius duratio tanta, vt pro commeatu nauigationibus conducat maritimis. Piſcium pars maxima cum oryza aut eius iuſculo decoquitur. Vnde illi ſaporem acidiuſculum acquirunt, non ſecus, ac ſi cum vuis criſpis aut agreſta decocti eſſent.

Piſces.

Qui ipſis in vſu frequentiſſimo eſt, *Cartyl* nuncupatur, cibus fermè quotidia-

tidianus. Panis loco ipſis Oryza eſt. Ad palatum mulcendum comprimis quoque faciunt Alauſæ ſeu Clupeæ & Lingulacæ. Qui ibidem quoque celebres Granati ſunt, omnium & optimi & maximi reperiuntur. quorum duodecim ad ferculum lautum parandum ſufficiunt.

Cancri. Sed & Cancros vnda promit non ſaltem eſu ſuaues, verum & miro modo grandes. In quibus hoc ſingulariter notandum eſt, quod non, vt apud nos, ſub *Mirabile.* plenilunium vegetiſſimi & carnoſiſſimi ſint, verum contra, ſub plenilunium macri, ſub nouilunium verò pleni & carnoſi exiſtant. Sed & concharum piſcium que teſtaceorum ibidem promta vbertas eſt, vt & oſtreorum, quorum à *Cabo* de *Comoryn* ad Cochinum vsque precipue ſummus prouentus eſt. Sed hæc ibi magni non æſtimantur. Piſces in vniuerſum omnes vili in India pretio veneunt, adeò, vt vno triente pro 5. vel 6. viris ferculum vel prandium inſtrui omninò poſſit.

In Indię pleriſque mari finitimis locis ingens copia piſcium obnatat, quos *Tubaron diu-bius graſſator.* Luſitani *Tubaron* ſiue *Hayen* nominant, qui fines illos grauiſſimè infeſtant, & vrinatorum, perlas inſectantium, quam plurimos deuorant. Qua cauſa accolæ in fluuiis iſtis nec ſe lauere, nec quicquam aliud facile tentare audent, metu piſcis illius vndiquaque graſſantis. Lacubus tamen ad corpora refrigeranda & eluenda in hunc finem extructis vtuntur, ſicut alio loco recenſitum eſt.

Hiſtoria lamentabilis. Cum nauis noſtra in Luſitaniam itura Cochini ſubſiſteret, vt clauus quem confractũ iam refici curaueramus, puppi rurſus connecteretur: accidit, vt ex nautis vnus, qui commodiorem huic negotio operam locaturus, è puppis fune dependebat ad lumbos vſque aquæ immerſus, derepente à Tubarone tali mordicus impeteretur, qui vaſto oris rictu integrũ illius pedem arripiens, cruenta admorſione eum ad femur vſque medium detruncauit, nec acclamantium voce abſterritus, nec remorum, quibus vndiquaque contundebatur, iteratis plagis fugatus. Qua in trepidatione, cum iam ex vulnere & dolore ſemianimis nauta mutilatum pedem admoto bracchio contrectaturus eſſet, tum piſcis & id ipſum arripiens, totum cum clunium parte quadam ſpectaculo pluſquam miſerabili demolitus eſt. A quo accepto damno æger in hoſpitale ſeu noſocomium deportatus, & à nobis, qui poſtero die naui ſoluturi eramus, exigua vitæ ſpe derelictus eſt. Similes caſus in Indiæ tum mari tum fluminibus, in mare ſe exonerantibus crebrò experiri eſt: quod periculum piſcatores potiſſimum & vrinatores manet, quorum plures miſerando exemplo quotannis pereunt.

Ex flumine quodam Goę proximo, cuius oſtium hyberno tempore pro loci more obſtructum erat, piſcatores quidam monſtroſum piſcem extraxerunt, cuius ſimilem nec in India nec locis aliis vſpiam videre contigit. Qui ob nouitatem Archiepiſcopo donatus, eius iuſſu à pictore ad viuum exprimebatur. Cuius Icon ſeu effigies Regi Hiſpaniarum poſtmodum tranſmiſſa eſt.

Piſcis mirabilis. Animal illud mediocris magnitudinis erat, canem domeſticum vulgarem altitudine haud excędens, cuius roſtrum porcino ſimile protuberabat. Oculi ei parui erant, nullæ aures, quarum loco duo ſaltem foramina hiabant. Pedes Elephantinis (reſpectiue tamen) per omnia ſimiles erant. Cauda ad dorſi fines lata ſenſim in acumen deſinebat. Per atrij pauimentum curſitans, ſuum porcorumue ritu grunniebat. A capite ad caudam vniuerſum corpus ſquamis, pollicis articulum priorem æquantibus, conueſtitum erat, tàm ſolidis & duris, vt nec ferrum nec æs plus reſiſterent. Grandibus & frequentibus non ſecus ac incus quędam à nobis plagis contuſus nihil aliud quam conuoluebatur, & echini more caput caudamq; intrò condebat, vt globi exquiſitam rotunditatem præſtaret: nemine interim iuncturarum proportionem ſatis obſeruante. Conglobatus nulla vel vi vel machina diuelli aut expediri poterat. Relictus tamen

ſponte

ſponte ſe iterum pandebat aut explicabat, & qua via patebat, errabat.

Indicorum piſcium hæc commemoratio occaſionem mihi miniſtrat, narrãdi hiſtoriam quandam, ſi quidem non facile cuiuis creditam, veriſſimam tamen ipſa re, nulloque prorſus fuci puluere aſperſam. Hæc in ipſo viceRegis atrio deſcripta & deſignata, à ſummæ & indubitatæ fidei viris & heroibus ſubſcriptione confirmata aſſeruatur additis nomine præfecti, nauis, anni & diei, quando ea res ita geſta ſit, & qui illi interfuerint: quorum adhuc multi viui & ſuperſtites, fidem veritati ſtruere certiorem poſſunt. Hiſtoria talis eſt.

Nauis quædã Luſitanica per Mozambiquen in Indiam decurrebat. Vento hæc adeò ſecundo & optato vtebatur, vt vela omnia pleniſſima nauem proferre feliciſſimè viderentur. Diebus ergo 14. integris curſum verſus lineam æquinoctialem nautæ tenentes, & quotidiè ſolis altitudinem metientes, tandem obſeruarunt gradus ad metam propoſitam indies non minui aut pauciores fieri, verum quotidiè multiplicari, ſeque ab æquinoctiali linea quam longiſſimè diſpelli & arceri. Quæ res non ſaltem præter omnes naturæ cauſas eſſe videbatur ad admirationem vniuerſorum, verum etiam, qui in nauibus erant, certis ſe præſtigiis & incantamentis agitari liquidiſſimè rebantur: cum ſcirent, illius loci mare huius aſpulſus neutiquam cauſam eſſe, & vela ſecundis ventis interim nihilominus ex voto turgida procedere. Seſe ergo anxie inuicem contuentes partim terrore, partim anxia rei admiratione diu exercebantur: dum tandem neſcio quo caſu nautarum quidam attentis & ſollicitis in vndam oculis deſpectans, latam & ingentem quandam caudam proræ intortam innexamque contuitus eſt, qua piſcis quidam nauem firmiter prehenderat, reliquumq; corpus per nauis longitudinem inferius exporrexerat, adeò vt inter remos caput ipſius poſt puppim promineret. Hoc ille ſitu nauis omnem molem ita violenter torquebat, vt illam contra violentiſſimum quoque reflantis venti impetum vi & robore ſuo immenſo retroageret, ſecumque tot diebus rapidè proferret. Iam itaque hoc pacto cauſa repulſus percognita, adactis ſudibus furciſque & organis conferentibus cæteris ad arcendum eum tam diu ſtudioſiſſimè laboratum eſt, donec tandem cauda plicatili auulſa nauem ille deſtitueret, cum iam diebus 14. integris illi agglutinatus adhæſiſſet, & violento reniſu eandem omni impetu ventoque contrario ſpreto, natando ſecum abripuiſſet. In æternum itaque memoriæ ſignum hiſtoriam hanc viceRex in atrio ſuo depingi accurauit, quam effigiem his meis oculis perſæpè egomet cum magna admiratione vſurpaui, & circumſtantiis ſupradictis ſubnotatis diligentiſſimè perlegi.

Hiſtoria inaudita, piſcis, nauem retropellentis.

In tractibus illis maritimis, vt & vicinis fluminibus aliquot iuxta fines *Bengalæ* piſces quoque complures alij captantur, Ganges dicti. Sed & ad Malaccam Crocodilos & ſerpentes marinos reperire eſt, tam vaſtos & portentoſos, vt ſæpiſſimè piſcatorum ſcaphas, naueſque alias grandiores euertant, & excuſſos inde homines deuorent. E fluminibus hi quoque aliquoties in ſolidum egreſſi, ex inſidiis obtruncatos viatores diſcerpunt vorantque: Cuiuſmodi exempla quotidie apud incolas memorabilia eueniunt.

Ganges piſcis.

Crocodili ſerpentes marini.

Iuxta Malaccã teſtæ inueniuntur, conchas Iacobitarũ facie exprimentes, ſed tam grandes & ponderoſæ, vt duo prevalidi viri, vnam è firma pertica pendulam ægrè baiulare queant. Intus illæ piſces condunt, quos exemptos Malaccani manducant. Teſtarum huiuſmodi aliquot vehebat grauamenti loco nauis illa, quæ Malacca ſoluens, nobis ſocia ex S. Helenæ Inſula in Terceram properauerat: vbi ſubmerſa periit. Nihilominus tamen imperato & iuſſu ex Malacca Ieſuitarũ aliquot teſtæ è fundo rurſus extractæ ſunt, quas Vlysbonam amandarunt, vt templi ſeu cœnobij quod, ibi ingentibus ſumptibus tum temporis extruebatur, faſtigio imponerentur.

Conchæ ſeu Teſtæ maximæ.

Præter dicta hactenus coronidis loco hoc quoque adiicere allubuit.

Nauis quædam alia *S. Pedro.* ex Cochino in Luſitaniam ſoluerat. Hęc medio curſu in breuia quędam impingens, confracta crepuit. A quo caſu locus iſte vel-

Breuia S. Pedro. dum hodie *Breuia S. Pedro* nuncupatur: qui à Goa intra meridiem & occaſum ſex ferè gradibus ſitus eſt ad auſtrum. In naui vero illa qui vehebantur homines omnes ad vnum ſeruati ſunt. Qui pręſenti periculo compulſi ex lignis promptis & obtritæ nauis fragmentis Carauellam ſeu celocem extruentes, viam vniuerſi retrò in Indiam relegerunt. Quo vero tempore in condenda naui occupabantur, in periculis funeſtiſſimis continuo verſabantur, propter infeſtantes & inſultan-

Grandes adeò cancri, vt homines vorent. tes vndiquaque cancros marinos. Qui tam grandes & ſæui ex Oceano in vadum illud agminatim ad operarios prorumpebant, vt congeſtis & firmatis vallis ſe condere, & poſitis excubiis ſedulis dormientes tueri cogerentur. Vt diximus, & corporis vaſtitate & roboris firmitate adeò formidabiles fuerant, vt quemcunque chelis ſuis corripuiſſent, huc & in continenti illico obtruncarent, & obtruncatum vorarent. Hæc cõmemoratio, vt rei haud pridem factæ eſt, ſic veritas eius extra omne dubium à quouis acceptanda eſt. Nam & in iſta naui, qua ex India in Luſitaniam egomet nauigabam, bini nautæ ſimul vnà mecũ vehebantur, qui prius ſubmerſæ nauis *S. Pedro* periculo ipſimet interfuerant, & huius rei veritatem iuratò atteſtabantur.

Cap. V.

DE FRVCTIBVS QVIBVSDAM, & arboribus, plantiſque aliquot Indicis. Et primo, de Fructu quodam Ananas dicto.

ANNOTATIO D. PALVD.

Ananas. *ANANAS, Canarijs Ananaſa, Braſilianis Nana, Hiſpaniolæ indigenis Iaiama, in Braſil degentibus Hiſpanis pinas, à ſimilitudine, quam cum pini fructu ſortitur, dicta, primò in Braſiliam ex inſula S. Croce, hinc in Hiſpanicam Indiam, inde porrò in Indiam Luſitanicã illata & complantata eſt: Vbi nunc mira copia ſuccreſcit.*

Fructus citri aut vulgaris Melonis magnitudine eſt, colore ad aſpectum valdè amœno, & limpidè virideſcente, qui tamen color maturatione vaneſcit tandem. Poma hæc & iucundi ſaporis, & odoris gratiſſimi ſunt, non ſecus ac apud Gallos Abricot, Latinis Armeniaca aut præcocia dicta. In quibus hortis coluntur, hîc latè fuſo odore vel tranſeuntibus ſaltem ſeſe illicò produnt. E longinquo ſi aſpicias, fructui Cynaræ non ineptè reſpondent, niſi quod aculeis tantoperè non rigent. Ipſa planta, cuius hic fructus eſt, Dipſaco, Labrum Veneris vocato haud abſimilis eſt, cuius eædem quoq; radices: Quarum ſinguli caules ſingulos fructus proferunt: niſi quod raro ex lateralibus ſtolonibus

lonibus quoque aliquid enaſcatur. Huiuſmodi plantam mihi ex Braſilia allatam, aliquando in horto meo alueram. Sed cœli noſtri frigore tabefacta, perijt. Fructus hic temperaturæ calidæ & humidæ creditur, & ex vino, vt perſica, comedi ſolet, facilis & celeris concoctionis. Nimia tamen quantitate ingeſtus, corpus inflammat; carni gingiuarũ; vt & illarum venulis, potiſſimum nocet. Temperamentum Ananas,

Huius in Braſilia diſcretæ ſpecies, quæque diuerſis nominibus & linguis appellatæ numerantur: Quarum tamẽ tres præcipuæ ſunt. Prima Iaiama, cæteris & longior & ſapidior & carnoſior exiſtit. Altera Boniama interius albicans, ſaporis dulciuſculi eſt. Tertia Iaiagna & ipſa alba, ſaporem vini Rhenani æmulatur. Alid quoque genus ſponte ſua in campeſtribus prouenit, vnde Ananas agreſtes vocantur. Cæteras enim ſpecies in hortis foueri neceſſe eſt. Sylueſtres è trunco enaſcuntur, haſtam longiſſimam alto, figuræ rotundæ, magnitudinis aurantiorum, in ambitu ſpinoſæ. Folia plantæ & ipſa aculeata in extremitate ſunt. Hic fructus paucis pro cibo eſt; etſi ſaporis ſit non ingrati. Vniuerſa cum radice planta admodum ſucculenta eſt: Cuius tuſæ & expreſſæ humor ſaccharo commixtus & ſub auroram bibitus præſentaneum inflammato hepati & renibus remedium creditur. Sed & his exulceratis, aut purulentis, nec minus pudendo virili excoriato certò opitulari compertum eſt. Succum hunc Arabes quoque contra Eryſipelas valde commendant. Qui de his plura ſatagit, Coſtam in capite de Ananas: Ouiedium lib. 8. cap. 18. Theuetium in obſeru. Americ. cap. 46. perlegat. Ananas ſaccharo conditæ, Cucumerum magnitudinem adæquant: Quarum plures egomet domi conditas habui. Huc vſque D. Paludanus.

Triplex Ananas ſpecies. — Ananas ſylueſtris. — Fructus Ananas facultas.

ANANAS fructuum omnium ſuauiſſimus & ſapidiſſimus eſt, quos vniuerſa India edit, etſi hoc ſolum illi non natiuum ſit, verum planta quondam ex Braſilia in Luſitaniam eò importata fuerit. Quæ primò quidem noua & pleriſque admirationi erat, adeò vt pro vna planta pardauus vnus in principio numeraretur. Temporis verò progreſſu continuata ſubinde plantatione ſolo Indico in tantum aſſueuit, vt hodiè vbiuis feliciter proueniat, & pretio fructus paſſim ematur æquiſſimo. Hic circa Bacchanalia matureſcere ſolet, quo tempore guſtui ſuauiſſimus eſt, magnitudinem melonis ſortitus, ſuperiore parte colum lino fuſum, externa verò facie pini fructum exprimens, ſciſſu tamen admodum facilis. Colore idem ex rubro viri- Tempus maturationis Ananas

deſcente eſt è terra vlna elatius ſurgens: cuius folia eam ferè herbam referunt, quæ ex Hiſpania allata Aloë ſeu ſemper viua, quod perpetuo virore vigeat, dici ſolet. Qua cauſa quoque ex ædium trabibus pro delectamento ferè ſuſpendi ſueuit. Aloes tamen folia; Ananas & acutiora & ſimul in ambitu ſerratiora & ſpinoſiora comparent. Hunc fructum qui eſitaturi ſunt; detracto aut deraſo prius cortice in orbiculos illum ſecant, eduntque. Interius nucleis aut granis aliquot pyrorum malorumue ſimilitudine prægnans eſt, quæ colorem maturi perſici, vt & eiuſdem ferè ſaporem præſtant. Ipſe tamen fructus omnium delicatiſſimus & ſapidiſſimus eſt, adeò vt muſti acriuſculi guſtum propè præbeat, nec facilè ſui ſatietatem edentibus elargiatur. In qualitatibus quidem is adeò calidæ naturæ eſt, vt culter ad ſemihoram illi inſertus & relictus, vltra partem mediam exedatur & exteratur. Homines tamen manducatus inſigniter non lædit, niſi plus iuſta quantitate ingeſtus à calore moderato interno vinci nequeat: quæ ſors etiam reliquorum ciborum omnium prȩter modum adhibitorum vulgaris eſt. AEgris tamen eſus illius interdicitur. Hunc, vt diximus, eſuri, excorticatum in teſſellas ſeu tomos dirimunt: quos ita ex ſuperfuſo vino valdè ſapidos guſtant.

Aloë.

Vrentis facultatis Ananas.

Cap. VI.

DE JAQVA SIVE JAACA.

ANNOTAT. D. PALVDANI.

Iaaca nomina.

IN Calecut & Indiæ locis alijs iuxta littora, fructus quidam prouenit, quem Malabari Iaaca, Canari verò & Guzarattæ panar & panaſu ab Arabico panax, & Perſico Fanax appellitant. Hic non ad aliorum fructuum exemplum ex ramis exilioribus enaſcitur, verum ex ipſo trunco ſeu caudice, qui folia inferius promit, ſub quibus iſte fructus. Folia hæc palmæ magnitudine efferuntur viridia, & fibra denſa firmaque per medium eorum ſurrecta. Qui ex Iaacis fructibus omnium minimi ſunt (quales in Malabar vniuerſi, iuxtaque optimi proueniunt) peponis aut cucumeris vtmaximè magnitudine ſunt, foris cortice virente inducti, aliàs pini fructibus non diſcordantes, niſi quod tunica exterior punctis quibuſdã ad aſpectum aſperis aut furcatis, nõ tamen reipſa talibus, interſtincta compareat.

Fructus hi, ceu modò dictum eſt, aliquando cucumeres æquant: aliquando his maiores ſunt, crebris ſpinis, non tamen vſque adeò acutis, ad erinacei ſpeciem rigidi: Quos Goa promit, Malabaricis multò inferiores & ingratiores ſunt. Menſe Decembri matureſcentes, odorem iucundiſſimum fundunt,

alij

alij tamen alijs meliorem. Fructus enim in duplici ferè genere continentur. Nobilius Barca, ignobilius Papa incolis dicitur: quorum hoc priore & ad guſtum & odoratum & contactum inferius eſt. De genere optimo fructus vnus 40. circiter Maluadiſen venditur: quod ſupputatione noſtra paulò plus quam Regalem aut bazios binos noſtrates conſtituit. Vbi maturitatem nux acquirit, nigreſcere nonnihil, & cortice duriore cingi incipit. In huius quod ambitu ſeu extremitate eſt, diſcreti variјque ſaporis eſt. Quandoque etenim is Meloni, nonnunquam perſico, aliquandò fauo mellis, interdum citri pomo guſtu ſimilis eſt. Sed extrema hæc vtcunque valde ſapida obueniant: nihilo tamen minus ab hominibus ægre concoquuntur, ſed cruda identidem egeruntur. Fructus per medium ſectus, interius candidus eſt, pulpa vniuerſus prægnans: quæ ſeptis ſeu loculis quoquouerſum operoſe interſtincta, ſingulis ſingulas nuculas, Dactylis maiores, & cinerea pellicula inductas, condit promitque. Nucum harum ſubſtantia interior, vt caſtanearum, albicat: quæ virides maſticatæ, acredinem quandam linguæ offerunt, interim aluum excitatis flatibus onerantes. Coctæ tamen aut aſſæ, caſtanearum ſaporē per omnia præſtant, & ciendæ Veneri ſeruiunt. Qua cauſa quoque pleriſque in cibum petuntur. Sed & craßitie ſua aluum immodice fluentem ſiſtunt cohibentque, extremitates huius fructus, vt modò narrauimus, ſtomachum valdè grauant. In quo ſi quam fors corruptionem ſubeant, in humores valde malignos prauoſq; faceſſunt. Vnde illi, qui ſe harum eſu nimiopere coonerant, febribus peſtiferis (Indi Morxi vocant) prompte corripiuntur. De his qui plura deſiderat, is Ludouicum Romanum lib. 5. c. 15. nauigationis ſuæ, Chriſt. à Coſta in cap. de Iaaca, Garciam ab Horto lib. 2. c. 4. videat. Hæc Palud.

Iaaca duo genera.

Iaacæ vires.

FRVCTVS Iaaca in arbore, nucis magnitudinem habente, prouenit. Hæc in ſolis littoribus & maris terminis enaſci ſolet: ex qua dictus fructus præter naturam reliquorum omnium protruditur, non ex ramis & ſurculis, ſed ipſo potius caudice aut bracchiis ſeu ramis huic quam proximis, craſſiſſimis, & principalibus. Qua verò arboris rami in plures ſurculos finduntur, nullo pacto emergit. Et magnitudinē & formam quadamtenus Melonis habet. Quoddam tamen eorum genus adeò grandeſcit & augetur, vt ab vno homine ægrè humo eleuari aut attolli queat. Facie exteriore Ananas præſentant, niſi quod glabriores ſint, & ex viridi ſubnigricent. Fructus

Singulare in Iaaca.

Iaacæ magnitudo.

ctus interiores tunicis vt caſtaneæ interſepiuntur, quorum ſubinde plurimi intus conduntur.

Vno enim quolibet ſepto ſingularis nux includitur, cuius pars dimidia coloris candidi, altera flaueſcentis eſt, contrectata ob viſcoſitatem manibus facilè adhæreſcit, non ſecus ac mel cum ſua in alueis cera adhuc confuſum: cuius

Iaacæ quot nuclei.

quoque ſaporem haud obſcurè æmulatur. Pellicula ſua nucleus veſtitus, caſtaneam, cortice exteriore nudatam, aut glandem cupula liberam refert, cui poſtremæ quoque magnitudine aſtipulatur, etſi nuclei nonnulli maiores reperiantur. Vnica Iaaca, ſepimenta nucleoſque 100. pluresue frequenter continet, prout maioris minoriſue molis eſt. Eius tamen diſcreta duo genera ſunt, *Giraſal*, quod optimum & nobilius: *Chambaſal* quod inferius & minoris pretij eſt. Quæ tamen duo genera, nec arboris forma, nec fructus facie differunt, ſed ſolo huius reſpectu, quod *Giraſal* alterum dulcedine & ſuauitate nonnihil excedat. Cæterum binis hiſce voculis, *Giraſal & Chambaſal* Indi quoque oryzam & reliqua omnia diſcriminant diſtinguuntque, ita, vt cuiuſuis generis nobilius *Giraſal*, inferius verò *Chambaſal* vocari ſoleat. *Iaacas* autem omni anni tempore ad vſum promptas inuenire licet.

Cap. VII.

DE MANGAS.

ANNOTATIO D. PALVD.

Mangas qualis arbor ferat.

MANGAS procera quædam & vaſta arbor, Iaacciferæ ſimilis, valdéque ramoſa, parit, ovum anſerinum adæquantes, & in quibuſdam Indiæ locis duas pluresve libras appendentes. Hi fructus quoque ab vna eademque perſæpè arbore, colore diuerſi prodeunt: cum illorum quidam ſubuirides, aliqui flaui ſeu lutei, nonnulli ex viridi rubentes, cõſpiciantur, in vniuerſum omnes tum guſtu, tum odoratu ſuaues. Qui ſi recentes, necdum marcidi eduntur, ſaporem longè meliorem perſicis nobiliſsimis miniſtrant. Appellationem eorum quod concernit, vulgariter Mangas, in Canarijs Ambo, à Turcis Perſiſq; Amba indigetantur. His ab Aprili menſe vſque ad Nouembrem arbores fœtæ ſunt. Et licet paſsim in regionibus aut prounicijs pleriſque proueniant: maximi tamen præ reliquis & voti & pretij ſunt, quos ormus ſuppeditat: vnde etiam ſingulariter ab alijs expetuntur.

Mangas nomina.

His proximi bonitate cenſentur Guzarattenſes, qui ob excellentiam hanc peculiariter quoque Guzarattæ vocantur. Hi etſi nonnihil ſuperioribus minores ſunt: ſaporis tamen mulcedine

cedine illis nihil cedunt, nucleum paruum ſuauemque guſtu promentes. Tertio ab his ordine continentur, qui in Ballagatte omnium maximi creſcunt: quorum nonnulli duarum librarum cum parte quarta pōdus vicerunt. Hi & ipſi ſuaues ſunt, copioſeque in Charanna, Quindor, Mandanagor & Dultabado primarijs Regis Nizamoxa vrbibus, vt & in Bengala, Pegu & Malacca, proueniunt.

Cortice foris detracto, fructus in orbiculos dirimitur, qui ita aut ſolitarij aut vino imbuti vorantur, non ſecus ac apud nos perſica præparata eduntur. Vt duratio eorum longior ſit, nōnunquam ſaccharo, aut aceto, aut oleo vel ſale, prout in Hiſpania oliuæ, condiri ſolent, cultro adacto prius ſauciatæ, & vulneri zinzibere, allio, ſinapiue inditis. A nonnullis crudi cum ſale ſimpliciter manduntur, aut cum oryza decocti. Tam varijs modis conditi, foro poſt venales inferuntur. **Modus parandi mangas ad eſum.**

Temperamento in genere frigido & humido pollent: etſi vulgo calidi cenſeantur, quod nimia eorum ingeſtio dolorem flatuſque ventriculo cieat. Quin imò illos indigenæ Medici exceſſiuè adeò calidos profitentur, vt vſum eorum in ſolidum damnent, quod manducantibus nihil aliud præſtent, quam ignem ſacrum Eryſipelas dictum, & ardentes pernicioſas febres, inflammationeſque & varios cum cutis ſcabie & exanthematis tumores ſuſcitent. Quæ tamen meo iudicio illorum ſaltem hominum corporibus accidunt, quibus cibus iſte in ventre corrumpitur: pro cauſa interim non minima aeris intenſo feruore concurrente. qui tum temporis, quo fructus iſte matureſcit, aut præcipuè in vſu eſt, hominum corpora penetrantiſſimè infirmat, adeò, vt quamplurimi quoq; iſtius modi morbis infeſtentur, qui de fructibus iſtis ne guſtauerint quidem. **Mangas facultas.**

Ante perfectam maturitatem vim adſtrictoriam, interna potiſſimum parte, cui nux quam proxime aſſidet, poſſident. Tandem verò longius à ſole excocti & complete maturati, dulceſcūt. Quæ intus incluſa nux eſt, cortice duro, fibris denſis & firmis innexo, veſtitur, glādem magnitudine æquās: interius alba, foris pellicula tenui ſuperinducta. Crudæ nuces manducatæ ſaporem amariuſculum offerunt. Qua cauſa vtiliter **Nucis ratio.**

 ver-

vermibus inteſtinorum & ſiſtendæ aluo adhibentur: illis crudæ, huic elixatæ.

Huic fructui ſimilis quoque alius eſt, ſed qui nucleo caret, & nihilominus haud inſuauis eſt. Sed & tertium genus

Mangas brauas promptiſſimũ venenum.

ſylueſtre reperitur, cuius fructus Mangas brauas nominatur, valde venenatus: quo ad interimendos inimicos frequenter vtuntur. Ita enim id præſentaneum eſt venenum, vt vel leuiter obguſtantibus illicò mortem afferat. Venenum hoc nonnunquam cum oleo permiſcent, ad vim eius mortiferam acuendam & augendã. Quæ mixtura quocunq; modo propinetur, guſtantem certiſſima & rapidiſſima internetione conficit, adeò vt ne hodierno quidem die toxico illi antidotus vlla excogitari potuerit. Fructus iſte limpidè & tenuiter viret, & nonnihil reſplendet, intus ſucco albo lactis æmulo totus turgidus: cuius nucula duro cortice ad mali contonei magnitudinem obducta eſt. Hucuſque D. Palud.

EX arbore quadam, Iaacæ ſimili Mangas fructus legitur, perſici mali magnitudine, ſed eo tamen oblongior, & nonnihil retortus, colore ex viridi & flauo permixtus, cui quandoque nonnihil de rubore accedit. Interius lapis, perſicorum ſimilis, connaſcitur, eſui tamen ineptus. Mangas ſi medios diuidas, intus nonnihil flaueſcere deprehendes, in diſſectione nonnihil aſperos. Sapore ſe tamen commendant haud ingrato: vt qui

Optimi duo in India fructus.

ſuauitate perſica etiam optima exuperent. Mangas & ananas duo ſunt fructus, quorum præ cæteris vniuerſis vſus apud Indos frequentiſſimus & tutiſſimus eſt. Commeatum enim paſſim omnibus quotidianum præſtant, non ſecus ac Hiſpanis Luſitaniſque oliuæ. Ex arboribus illi auelluntur aut decerpuntur adhuc virides: quo tempore parandis electuariis commodant. Potiſſima tamen eorum pars ollis lapideis iniecta ſale conditur: vnde poſcente deinde vſu exempti, cum oryza in aqua ita decocta vt, grana integra maneant, pro quotidiano paſtu faciunt, tum mancipiis ſclauiſque, tum plebi quoque cæteræ, quæ Mangas loco ſalitos reſiccatoſque nonnunquam piſces ſine pane comedunt: cuius vices oryza incolis ſupplet. Conſecti mangas ſimilitudinem albarum ex Hiſpania oliuarum tum colore tum guſtatu præſtant, niſi quod illis nonnihil acriores, nec æquè amari, ſed paulò plus acidi ſentiantur. Illorum in India prouentus ad miraculum vſque felix eſt.

Fructus huius quoq; genus aliud reperitur, quod & ipſum conſaliri, & interius fragmentis aut zinziberis aut alterius aromatis configi ſolitum, tandem

Mangas Recheades.

pro paſtu decoquitur. Hoc genus Mangas Recheadas ſiue Mangas in Achar nuncupant: quod & ipſum pro ſolemni ferculo eſt, infrequentius tamen propter præſtantiam ſuam priore apponi ſuetum.

Hi vrceis lapideis tum temporis primum conduntur, cum iam maturuêre ſatis, quod à quadrageſimarum feriis ad Auguſtum vſque menſem excurrit.

Caput

Cap. VIII.

DE CAIVS.

ANNOTAT. D. PALVDANI.

Caius à quali arbore.

FRVCTVS *Indicus, Caius dictus, à craſſa quadam arbore, malo ſimili, editur, leuiter viridis. Tenerior autem arbor hæc folia profert mali folijs non per omnia ſimilia, ſed lauri ad vnguem propè æmula. Flore albicante, vt malus aurantia, tota cana & amœna eſt: qui tamen & minus illis olent, & folijs copioſioribus ſtipati ſunt.*

Caius forma & moles.

Fructus arboris & magnitudine & ſpecie ouum anſerinum quadamtenus, aut malũ grandiuſculum exprimit, foris flaueſcens, & halitum ſuauem ſpirans, intus ſpongioſus & rarus, ſuccique, vt Limonia, pleniſſimus, granis vacuus ſeu expers, guſtu ita quidem dulcis, vt os eſitatus leuiter aſtringat. Hic Indiæ orientali non vernaculus, verùm ex Braſilia quondam illatus haud friuola coniectura videtur, vbi nuculæ frequentiſſime pro cibo ſunt: etſi in deſcriptionis Americæ c. 61. diuerſum Theuet ſentiat. Ex fructus huius baſi ſeu ima parte nucula quædam leporini renis forma propendet & exeritur: quarum mihi à Luſitanico quodam gubernatore olim plurimæ dono datæ ſunt, colore cineritio, & ex hoc nonnunquam purpuraſcente. Nuces hæ, vt amygdala primo cortice adhuc obuoluta, ſinum ſeu ſulcum præferunt, in quo ceu plica, pinguis & fungoſa quædam materia, oleo ſimilis, conditur, valdè acris & ardens. Intus verò nucleus albus reperitur, cinerea tunica veſtitus, non minus ac Fiſtici ſeu piſtacia Italica, eſu ſuauis & ſapidus. Edendi leuiter aut torrentur, aut aſſantur. Sic palato admodum grati, ignauam Venerem ſtimulant.

Edendi modus. Vires ſeu effectus.

Tum fructus ipſe, tum huius ſoboles, nucleus, conditi loco ex vino plerunque eduntur. Præterquam enim quod palato opiparè ſapiunt, hoc etiam dotis & muneris præſtant, quod languoribus ſtomachi, vt vomitioni & nauſeæ inſigniter medeantur. Pro iiſdem malis tollendis, quidam pura vnda eos imbutos aut maceratos manducant. Quod in ſinu fructus oleum acre colli-

colligitur, ad ſacrum ignem attemperandum, maculaſque cutis fœdas extergendas efficaciſſimè illinitur. E o Braſiliani vulgariter contra omnem ſcabiem vtuntur. Arbores hæ ex fructu maximo & vegetiſſimo ſeruntur plantãturque. Perſuaſum ſibi quidam habent haud temerè omninò, fructus hos genus quoddam Anacardorum eſſe, propter ſucci intra corticem exteriorem lateſcentis euidentem acrimoniam. Sed de hoc legantur Caroli Cluſii obſeruationes in Garciam ab Horto lib. 1. c. 3. Hæc Palud.

CAIOS arbor malo ſimilis profert. Hi pyri mole ſunt, poſterius nonnihil acuti, prius verò latiores, colore flaueſcentes. Maturi mollis attactus ſunt. Inuerſo quam poma modo creſcunt. Quo enim loco pomis pediculus inſeritur, eo Caius caſtaneam pollicis articulo priori ſimilem, profert. Hæ tamen caſtaneæ à laacanis & colore & ſpecie differunt: quas etiam dignitate & ſaporis iucunditate vincunt. Non tamen niſi toſtæ ſapiunt.

Ignea Caios fatulus. Subſtantia harum interior, vt Europæarum, alba eſt, foris tamen cortice craſſiore, ſubcæruleo ſeu ſubuiridi, munita. Crudus hic fructus, non toſtus, vt nuces noſtrates, ore confringi aut aperiri nequit. Quod ſi enim corticem eius labris linguaue vel obiter tantum contigeris, dictum factum cutis eius contactu excoriabitur, adeò vt dolores acutiſſimos ſenſurus ſis. Quod qui neſciunt, certa ſuæ ignorantiæ pœna perſæpè plectuntur. Itaque aut cultro adacto is diducendus, aut toſtione ad eſum aptus parandus eſt. Guſtatus Caius ſtrangulat haud modicè, etſi inter mandendum ſuccum fundat ſuauiſſimum, quem copioſum & vberrimum in ſe habet. Vt cæteri, de quibus antè diximus, fructus, ſic & hic in tomos plerunque dirimitur, qui in patinas aqua, vinóue plenas, aut ſale conſperſas coniecti, ſtrangulationis vim deponunt, & guſtui illecebroſiores euadunt. Vt Mangas, ſic Caius ſub quadrageſimas aut hyemem matureſcit: qui tamẽ pari cum Mangas & Ananas ſuauitate conferri nequit. Eius copia toto anno proſtat.

Cap. IX.

DE JAMBOS.

ANNOTATIO D. PALVD.

PRAETER hactenus commemoratos fructus Jndia quoque alium gignit editque, qui tum ob pulchritudinem, tum propter odoris guſtuſque ſuauitatem, vt & ſingularem efficaciam ſeu dotem medicam, digniſſimus eſt, qui accuratius & diligentius deſcribatur. Hic ex Malacca primum il- Arboris facies. *latus, Indianis ſtudioſe colitur, magnique æſtimatur. Arbor, cuius iſte fructus eſt, procera admodum, maximam quamque malum*

malum Aurantiam Hiſpanicam æquat, ramis ſuis ſe quoquouerſum pandens, vt ad aſpectum latiſſima ſit. Cortex trunci ramorumque coloris cineritij eſt. Folia tenera & mollia, diducta manu longiora ſunt, ſpicula ſeu cuſpides haſtarum æmulantia, & per medium ſolido neruo ſeu fibra in longitudinē excurrente firmata, foris ſaturatè viridia, intus pallidiuſcula. Quibus floſculi ex rubro purpuraſcentes connati multis filamentis medijs pererrantur, ſpectaculo haud iniucundo. Hi odorem vitium gemmis ſimilem de ſe fundunt.

Arboris huius fructus, pyri magnitudine eſt. Pro nonnullorum verò arbitratu tum magnitudinem, tum colorem Gallæ Hiſpanicæ habet, vnde & à Rege Hiſpaniarũ id nomen accepit. Fructus duo genera ſunt: quorum primus ita complete rubet, vt longius diſtanti ſubniger appareat. Is nucleo caret: Alter ſuauior ſentitur, leuius nimirum purpurans, & odorem roſarum fundens. In huius medio lapillus non omninò rotundus clauditur, qui candidus & ſcabra pellicula veſtitus eſt. Vtrumque hoc genus roſas ſpirat, temperie frigidum vdumque, ſubſtantia tenerum & molle, tenui foris cuticula, quæ cultro expedite abradi queat, indutum. Fructus forma. Iambos quot genera.

Horum fructuum arbor, radices agit firmiſſimas profundiſſimaſq; quæ ſata primum, primis quatuor annis fertilis fit, & ab eo tempore omni anni circuitu fructibus prægnans reperitur, nec vnquam ſine his & ſuis floſculis eſt. Aſſiduè enim tum floribus tum fructibus, maturis ſimul & immaturis ſuperbit; quod cum pauciſſimis arboribus alijs cõmune habet. Floribus deciduis, omne ſolũ q. purpura tinctum nitet, in quorum illicò locum ſubnaſcuntur noui. Ex quo conſequenter id quoque accidit, vt fructus alij recens enaſcantur, alij ad maturitatem properent, alij iam plene maturi legantur. Arbore concuſſa, qui maturi ſunt, facile cadunt. Fragiles tamen rami ſi decuruẽtur, prompte hiſcunt aut finduntur. Fructus & menſis cum cæteris cibis apponuntur, & tum ante tum poſt prandium, quouis diei articulo pro cuiuſuis arbitrio manduntur. Malabari & Canoryni fructus illos Iamboli, Luſitani Iambos, Arabes Tupha Indi, Perſæ Tuphat, Turcæ Almat appellitaut. Arbor Arboris natura. Nomina.

verò Luſitanis Iãbeiro dicitur. Tum flores tum fructus ſaccha-
ro conditi, in febrium ardentiſsimarum paroxyſmis pro ſiti le-
nienda extinguendaque, propinantur. Hucuſque D. Palud.

QVÆ Iambos dant arbores, altitudinem prunorum aſſequuntur.
Fructus ipſe optimus, aſpectu amœnus, pomi magnitudine eſt, ex
rubro luteus, linguæ valdè gratus, odore roſæ ſuauiſſimus, intus
candidus, comeſtus valdè humidus & aquoſus: dotibus omnibus
Iambos ſumma ſalubritas. digniſſimus. Huius vſus, non perinde vt fructuum cæterorum ægris abdicatur,
ſed, quod ſine omni noxa ſit, liberrimè & ad appetitum conceditur. Flos huius &
ipſe aſpectui lætiſſimus occurrit, odoratus valdè boni, coloris rubei ſubcandeſ-
centis.

Iucunda parturiendi fructus viciſſitudo. Arbor dicta fructus annuatim vice terna quaternaue promit. Quodque
hoc caſu admirandum eſt, ex vno arboris latere, foliis deciduis iam nudo Iambi
maturi propendent, & in altero tum folia tum flores nouiter prorupiſſe con-
ſpiciuntur. Qui & ipſi, ſi pòſt in fructus abierunt, tunc latus alterum quoque de
nouo quaſi vireſcere, & in folia floreſque erumpere occipit: vt hæc vernandi
Fructus forma. viciſſitudo integro anno continuetur. Fructus nucleũ fert, cupreſſi fructui tum
magnitudine, tum ſpecie apprimè conuenientem.

Cap. X.

DE DISCRETIS DIVERSISQVE *nonnullis fructibus, pomis, & floribus Indicis.*

IANGOMAS fructus in India enaſcitur, ex arbore ceraſo non ad
modum abſimili. Is rotundus prunorum faciem propè refert, ob-
ſcure rubeus, intus nucleo viduus: cuius loco granulis quibuſdam
paruis turget. Saporem ferè prunorum habet. Ingenti copia pro-
uenit: ob id non magnæ æſtimationis.

ANNOT. D. PALVD.

Iangomas. *ARBOR, quæ Iangomas fert, pruni ſpecie eſt,*
tum folÿs tum floribus, ſi ſpinoſitatem addas
illi, qua prunus caret. Sponte ſua vbiuis, præci-
puè in vaſtis & deſolatis locis prouenit. Colitu
tamẽ & in hortis Bacaim, Chaul, & Balequa
la. Fructus ſorbi eſt, rotundus, paruuſque: qu
guſtatus, prunorum ſylueſtrium more os fauceſque adſtringi
Lapidis ſterilis, ad primum eruptum ſemen oſtendit, fiſticorũ ſ
mile. Si maturuit, eſui aptus nõ prius ſit, quã digitis volutati
perprimatur, & ſic quodam modo molleſcat. Qua tamẽ tritur
vim aſtrictoriam non deponit: Cohibendæ aluo apprimè vtil
etſi apud Indos in leui ſit pretio. Fructũ aiunt à certa quada
voluc

volucre vorari: à qua cum excrementis dein ſecedens, hoc q. pacto ſeratur, creſcat, & fœcundetur. Huc vſque D. Palud. *Iangomas vt ſeratur.*

SED & in India Carambolas fructus eſt, octangularis, pomi vulgaris magnitudine, guſtu acidus, vt immatura pruna: ex quo plerunq; Electuaria conficiuntur. *Carambolas.*

ANNOT. D. PALVD.

QVEM Luſitani Malabarique fructum Carambolas nuncupant, is in Decania Camarix: in Canaria Camarix & Carabeli: in Malayo, Bolunba, in Perſia Chamaroch nominatur. *Nomina.* *Huius mater arbor eſt Cotoneæ ſimilis: cuius tamen folia aliquantò maiora longioraq; ſunt, folijs malorum noſtrarum, abundè viridia, & amara, floribus exilibus quinque ſegmentis diributis, & ex candido purpuraſcentibus, odorem nullum, aſpectum tamen iucundum offerentibus, & ſaporem acetoſæ herbæ æmulantibus ſtipata. Fructus canino teſticulo ſimilis eſt, oblongus, luteus, in quatuor q. partes conſectus, quarum quælibet q. foueam quandam in coalitu conſtituit. Intus hic ſemine multo eoq; exili confertus eſt, quod propter gratam acetoſitatē palato ſuauiſſimū obuenit. Fructus ſaccharo conditus, tū cibi, tum medicmaenti vices ſufficit. Maturus, loco ſirupi acetoſi ſimplicis officinarum, ægris, grauiſſimis febrium ardoribus aridis exhauſtiſque potandus aut edendus offertur. Canaryni verò huius ſuccum cum medicinis alijs ibi natis commiſcent, miſcellamque contra oculorum maculas vſurpant. Coſta refert, quandam ſe in India obſtetricem nouiſſe, quæ reſiccatum & in puluerem læuigatum hunc fructum cum folijs Bettele pro eijcienda parientium ſecundina, & fœtibus mortuis exigendis feliciter propinauerit. Sed & ſale conditur fructus hic: quo modo ſaporem non horridum imbibit, & languentem ſtomachi appetitum vegetat. Hæc Palud.* *Fructus, ſpecies.* *Vires.*

PRÆTER dictos fructus, iam aliorum quoque mentio facienda reſtat, quales ſunt Brindoyn, Durindoyn, Iambolyn, Mangeſtain, & plures conſimiles. Qui cum apud Indos non magni fiant, prolixiorem deſcriptionem addere ſuperfluuum arbitratus ſum. *Brindoyn.*

ANNOT.

ANNOTAT. D. PALVD. AD fructum Brindoyn.

FRVCTVM alium India Orientalis miniſtrat, Brindoyn dictum: qui deforis modicè rubet, interius ſaturatè, ſaporis admodum acidi. Reperiuntur etiam, qui foris nigricent: ſed hoc illis à maturatione eſt: qui cum prioribus non æque aceſcunt. Intus tamen nihil minus illis rubent. Sunt ex Indis, qui fructu hoc genialiter delectentur: quorum tamen vſus propter vim acidam non vſquequaque tutus.

Ex cortice Brindoyn acetum.

Itaque à tinctoribus frequenter vſurpantur. Cortices huius fructus collecti, longius auehuntur, conficiendo aceto oppido conducibiles, cuius documentum perſæpè fecere Luſitani haud infelix.

ANNOTAT. D. PALVD. AD Fructum Iambolyn.

Iambolyn.

QVAE arbor Iambolyn profert, Lentiſci corticem habet, alias Myrrhiferæ arbori ſimilis, folijs tamen oxyacanthæ. In campis nulla ſatione ſpontè prouenit. Fructus maioris oliuæ Cordubenſis maturæ magnitudinem habet, aſtrictorius nimiopere: vt à medicis raro in medicamenta cooptetur.

Vires.

Salitus tamen cum oryza decoquitur, proque faſtidio ventriculi demendo editur. Vt Iaaca, ſic nec hic fructus Indis ſalutaris creditur. Hæc Palud.

Papaios. Mira Zygria.

EX Hiſpanica India per Philippinas inſulas in Malaccam importatur, hincque porrò in Luſitanicam Indiam prouehitur fructus alius, *papaios* dictus: formam Melonis, magnitudinem pugni habens. Huius hæc natura eſt, vt, niſi arbor arbori quaſi matrimonio quodam coniungatur conſeraturque, ſterilis nihil producat. Mas itaque cum ſua fœmina coniunctus, viget, & ſociam ſimul vegetat: ipſe quidem ex ſe nihil generans ac producens, fœminam verò fœcunditate ſua quaſi imprægnans, quæ ſola fructus edit, ſuos partus. Quod ſi diſiungantur, & loco quaſi diuortio triſti ſecludantur arbores, impotentes nihil procreant. Arbor ſtantis viri proceritatem, & folia magna latáque habet. A principio cum fructus rarus eſſet, ab omnibus magni fiebat. Nunc poſtquam vulgatus redditus eſt, pleriſque ſpretus ſordeſcit, & tenuiter colitur.

Ficus & ſimiles.

In India quoque ficus ſunt eò ex Luſitania implantatæ: ferè tamen ſteriles, aut fructum ad maturitatem non plene producentes. Aurantiorum, Melonum, Limoniorum, Citrorum, & ſimilium, in India ſumma vbertas eſt, Hiſpanica & bonitate & ſuauitate longè vincentium.

Vuæ ibi rariſſimæ: quod pauciſſimæ vites vix ad ædium præcipuarum muros excolãtur. Attamen, circa natiuitatem Chriſti & quadrageſimas ex *Ballagatte* continenti à *Decanynis* & Indis aliis Goam importantur aliquæ, Hiſpanicis longè ingratiores. *Quæ India non ferat.*

Melones Indiani & ipſi Hiſpanicis ſuauitate cedunt: adeò, vt non niſi cum ſaccharo ingeri queant. His tamen haud abſimilis in India fructus prouenit, *patecas, Anguria,* ſeu Melo Indicus dictus, extrorſum viridis ex nigro, interius candidus, granis nigricantibus perſperſus, attritu quidem duris & renitentibus, ſed tam humidis & ſuccoſis, vt à maſticatione os omne aqua ſeu ſucco (apprimè tamen interim dulci) perfluat. Oppidò illa refrigerant, & fauces reficiunt: itaque pro ſitis dilutione à meridie fere comeduntur. *Patecas.*

Cucumeres & raphani ibi copioſi ſunt. Braſſica, cumulatè quidem è terra prouenit: non tamen eam bonitatem aſſequitur, quam in Europa habet. Neque enim vnquam eò vſque incrementum habet, dum capita proferat, ſed folia ſemper hiantia ſeruat. Lactucæ ibi rara ſatio eſt. Cæteræ quoque herbulæ, ex quibus nobis pultes parantur, illic raræ ſunt: vt & aliæ odoratæ, vt roſæ, Lilia, Roſmarinus, Garyophylli & ſimiles. Quod ſi quas harum habent, plerunque ignaui odoris ſunt. Floribus areæ ibi nunquam conſeruntur. Nec graminis ibi copia: quod illud per æſtatem feruore ſolis immoderatiſſimo plerunque exuratur. Quantum eius in parato eſt, tantum in campis creſcit, cum hybernis menſibus pluuiis continuis prata irrigantur.

Floſculorum certum quoddam genus habent Indi ex arbore quadam deciduorum, *Fulle* dictorum, qui toto anno durantes, odorem ſpirant ſuauiſſimum. Hos fœminæ ſuis linteis & veſtibus ad odoris gratiam conciliandam inſpergunt. Sed & ex illis coronas aut ſerta innectunt, quæ collo geſtare ſolent. Eoſdem menſis quoque & lectulis ſuis iniiciunt, quod odoramentis illiuſmodi ſupra modum fœminæ Indicæ capiantur. Qui nobis in Europa flores infiniti generis alij ſunt, horum India nullos nouit: vt cum ſtupore quodam Indicæ mulieres, ſi quem de illorum varietate mira, & multiplici amœnitate narrantem audiant, attendant. *Fœmina Indicæ odorum auidiſſima.*

Cap. XI.

DE FICVBVS INDICIS.

FIcos India vario & diuerſo genere producit. Quorum alij aliis meliores, nobiliores, maiores, craſſiores pinguioreſque aut contrà ſunt. In genere tamen omnes & forma & colore conueniunt, diſcrimine leui diſſidentes. Arbor viri proceritate eſt. Folia vlnæ longitudinem habent, & ſpithamarum trium latitudinem, quibus Turcæ papyri loco ad penulas fingendas vtuntur. Nullo denſo ligno firmata eſt, adeò, vt haud ineptè arundinoſam arborem vocare queas. Caudicis vbique vna ferè facies, vna forma eſt. Subſtantia interior cribro ex crinibus contexto æquiformis eſt, ad aſpectum tamen craſſior. Hæc ad eius corticem. Qui detectus, lignoſam materiam aſpectui offert. Caudex, qui omnium ex omnibus craſſiſſimus, ſpithamæ craſſitudinem habet. Per foliorum medium fibra ſatis craſſa firmaque porrigitur, qua in duas quaſi partes illa finduntur. Ad folij è caudice egreſſum, in ſuperiori maximè parte cacumen verſus flos oui ſtruthiocamelini magnitudine protuberat, leuiter rubeſcens, qui progreſſu temporis longius extra folia exeritur, adeò vt ſurculi cuiuſdam ſimilitudinem præferat, *Arbor qualis.* *Flos.*

Fructus. non ſolidi quidem & lignoſi, ſed inſtar caulis braſſicæ, ex quo deinde ficus aliquammulti, in ſeſe quaſi contruſi enaſcuntur, qui primo exortu fabas maiuſculas follibus ſuis adhuc concluſas mentiuntur, poſtea verò dimidiæ ſpithamæ menſura elongantur, in trium quatuorue digitorum tranſuerſorum latitudinem craſſeſcentes, non ſecus ac vulgares ſunt Cucumeres. Surculus iſte, plerunque 200. pluribus paucioribuſue ficis prægnans eſt, vuarum modo in ſe penitus compreſſis contortiſque. *Numerus ficorum ab vna arbore.* Acini, ex quibus dependent, in tantam perſæpe molem grandeſcunt, vt à binis baiulis tranſuerſa pertica vix geſtari queant. Priuſquã planè maturuerunt, reſcinduntur, & cum racemis alicubi ex trabe penduli defiguntur in ædibus: vbi quaternorum quinorumue dierum ſpatio maturitatem perfectam adipiſcuntur.

Mira fœcundanda arboris ratio. Pro vice vna arbor præter ficorum glomum vnicum non parturit. Cuius carpendi tempore arbor ipſa tota ad radicem detruncatur, vt præter hanc reliquum illi nihil relictum ſit. Ex qua tamen arbor breui ita repullulat, & eò vſque accreſcit, vt vnius mẽſis curriculo exacto, & in priore ſua perfectione integrè cõſiſtat, & ficos recentes prioribus omninò ſimiles largè profundat. Hoc ſe more toto anno gerit, nullo vſquã tempore excepto. Vnde fit, vt ficorum paſſim per omnem Indiam tanta moles & ſtrues reperiatur, vt vniuerſis regionibus pro pabulo ſufficiente ſint. Guſtu ſuaues & gratiſſimi ſunt. Eſui adornandæ, prius excoriantur: cum folliculorum in fabis quidam craſſitiem habeant. Nonnulli tamen teneriore tegumento inducuntur, intus cãdidi, foris ita molles; vt ex farina butyro permixta piſti videantur, ſaporis admodum dulcis & mulcebris. Hi annonæ omnis loco eſſe poſſunt: adeò, vt & ſiliginis, & farris, vnde panes fiunt, vices obire queant.

Genera ficorum quot. Qui ex cæteris feliciſſimi enaſcuntur aut vberius proueniunt, à Luſitanis *Figos Dorta*, id eſt, fici aulici nuncupantur, cæteris aliquantò craſſiores.

Figos Dorta. Senoryn. Alterum eorum genus, minus eſt, foris glabrum, *Senoryn* dictum. Hoc & ipſum generis optimi, tum odoris tum ſaporis gratia ſe latiſſimè commendat.

Cadolyn. Chyncapoloyn. Tertium *Cadolyn* vocatum, æſtimationis haud improbioris eſt. Qui verò omnium nobiliſſimi putantur, *Chyncapoloyn* indigetantur, quorum prouentus maximus in Malabar. Hi non admodum, vt cæteri, flaueſcunt, ſed virorem foris ferè omnes oſtendunt, forma anguſtiore & oblongiore. Hi præ cæteris omnibus iucundiſſimum rhodoſtagmatis odorem fragrant.

Præter hæc genera commemorata, alia quoque plura in India naſcuntur, ex quibus alia grandiora, oblongiora, & pro loci ratione craſſiora exiſtunt: quorum plura in Canonor ad Malabar littora proueniunt, qua cauſa à Luſitanis quoque Ficus ex Canonor appellantur. Et cum copia illic incredibili colligantur, tum prius ademptis corticibus ibidem ſiccantur, & vt bona ſeu merces cæteræ per vniuerſam paſſim Indiam diſtrahuntur. Vt verò ſummatim hoc negotium concludam, ſciendum eſt, ficos, cum apud omnes, omnibus in locis & temporibus, commeatum quotidianum certiſſimum ſuppeditent, cæteris fructibus vniuerſis palmam præripere. Creſcunt in omnibus Indiæ regionibus *Nomina.* Orientalibus, nec minus in Mozambique, in Ormo, in littoribus *Abex*, *Malabar, Malacæ, Bengalæ, &c. Guſaratta, Decanyni, Canaryni & Bengalenſes* eos *Quelli* vocant: *Malabari* verò *Palan*: *Malayi* de Malacca *Piſan*. In Arabia quidam *Muſa* vocantur, ſicut & Hieroſolymis, Damaſci, & in Cayro, ſicut pro vero ab illis, qui *Opinio de hoc fico.* negotiationis cauſa quotidie in India verſantur, mihi relatum eſt. Hunc fructum multi perſuaſum habent eum ipſum eſſe, propter quem guſtatum primæuus noſter parens Adamus iuſtitia ſua originali exutus ſit. Mihi autem veriſimilius fit, talem quendam ficorum glomum eum fuiſſe, qualem in libris Moſaicis legimus Iſraëlitarum exploratores ex benedicta terra attuliſſe, tàm grandem, vt à viris

viris duobus tranſmiſſa pertica geſtari debuerit. Quem ſacræ literæ ideô vuam appellent, quod hi fici vno acino nō ſecus ac grana vinifera proximè cohæſerint. Cuius exemplum aliquoties & his oculis contuitus, & mecum profundè demiratus ſum, quoties Archiepiſcopo Domino meo in Goa honoraria huiuſmodi oblata conſpicatus fui. De his verò meum iudicium interpoſitum, nulli præſumtum aut præiudicatum haberi velim. Cenſeant hæc & æſtiment, qui aut eruditione aut otio largiore meditationem feliciorem inire poſſunt.

ANNOTAT. D. PALVDANI.

FICI Indici ab Arabib. Moris. Ipſa verò arbor Daracht Moris: à Braſilianis fructus pacona, arbor paquouer: à Brocardo in terræ ſanctæ deſcriptione, poma paradiſi: ab Ouiedo Ind. Hiſt. lib. 8. c. 1. platanus: in Guinea Bananas: in Malabar Patan: in Malacca Pican: in Canonor, Decan, Guſaratte & Bengala, Quelli nominantur. De his quoque Auicenna, Serapio, & Rhaſis integra capita tradiderunt. Comprimis verò Auicenna, vbi de proprietate, virtute & operatione huius fructus lib. 2. c. 491. agit, aſſerit, illum parum alimenti corpori miniſtrare, bilem pituitamque in ſtomacho gignere, & hunc euertere. Calidis itaque naturis imperat, vt ab eſu ficorum mel cum aceto confuſum, & cum ſeminibus refrigerantibus decoctum ſorbeant. Non infeliciter tamen pro ardore renum & pectoris faciunt, & ſtrenuè vrinam pellunt. Auicennæ & Rhaſes aſtipulatur, 3. lib. c. 20. vbi eos ventriculo damnoſos eſſe expreſſe ſcribit. Quod vt credam, mea ipſius experientia facit: qui veritatem hanc, cum aliquando in Syria me immodicè illis oneraſſem, meo exemplo confirmatam memini. Nauſeam mouent & ciborum inappetentiam: aluum citant, & fauces exaſperant. Serapio in lib. de Medicinis c. 84. fructum hunc calidum & humidum in fine gradus primi facit. Sed contra Rhaſem ſentit, dum inflammationi pectoris pulmonumq; eos apprimè conducere ſtatuit. Et licet ex immoderatiore eius ingeſtu ventriculus quidem oggrauetur: nihilominus tamen ex eo fœtum in vtero felicius creſcere & augeſcere profitetur. Renibus autem præcipuè feruentibus auxiliantur: lotium promouent: & Veneri ſtimulum addunt. Medici Indici fructum hunc in febribus & alijs ardentibus morbis frequenter præſcribunt.

Nomina. *Natura & facultates ficorũ.*

Cur Paradiſi poma vocētur.

Cur verò à quibuſdam Poma Paradiſi appellitentur, id meo iudicio tum propter odoris ſaporiſque ſuauitatem, tum ſummam coloris amabilitatem fit. Sapor ſiquidē ex dulci aceſcit modicè. Odor roſarum eſt. Color ex viridi iucundè flaueſcens. Sed & hæc appellationis illius cauſa eſſe poteſt, quod ſi poma tranſuerſim incidantur, ſemper venas aliquas in crucis modum poſitas oſtendant, ſuper quibus qui in Syria Chriſtiani ſunt, varias cogitationes ſpeculationeſque texunt, eaſq; aduenis cum ſingulari quadam deuotione & pietate commonſtrant. De his verò, qui plura ſciturit, is illuſtria Caroli Cluſij in Garciam ab Horto commentaria percurrat, vbi fuſius hæc diſputantur & explicantur. Hucuſque D. Palud.

Iniamos & Batatas.

IN India copioſi quoque Iniamos & Batatas proueniunt. Iniamos magnitudine ſiſeris ſeu paſtinacæ tenuifoliæ ſunt, licet craſſitiem paulò maiorem, eamque ad radicem vniuerſam æqualem ſortiantur. Sub terra Chamæbalani ſeu glandis terræ more naſcuntur, colore foris murino, intus candido, ſicut Chamæbalanus: cui tamen dulcedine nonnihil cedunt.

ANNOT. D. PALVD.

INIAMOS hoc anno ex Guinea mihi allati, femoris virilis craſſitudinem habebant; quæ craſſitudo illorum vbique ad extremum vſque æqualis procurrebat. Tunica exterior coloris murini; interior ſubſtantia autem candidi erat. Tum elixi, tum toſti optimè ſapiunt, & alimentum nigris Æthiopibus maximum præſtant. Hucuſque D. Palud.

Batatas conditi.

BATATAS nonnihil ſubrubent, ſpecie ferè cum Iniamos eadem, ſaporis tamen dulcioris ſunt, & eiuſdem propè cum glande terræ. Bini hi fructus vbertim in India proueniunt, Iniamos maximè: qui in cibum more ficorum veniunt. Toſti tamen potiſſimum comeduntur, & inter fercula menſæ quaſi clauſula ſunt. Sed & alia ratione cum carne loco Braſſicæ raporumque decoqui ſolent.

Cap. XII.

DE PALMA, NVCES INDICAS, Coquos ſeu cocos dictas, gignente.

Nomina.

ARBOR hæc vulgariter, vt ab Indis, ſic Perſis & Arabibus *Maro*, ipſa vero nux *Narel* nominatur. Malabari arborem *Tenga Maran*, fructum maturum *Tenga*, nondum maturum & vireſcentem adhuc *Eleui* indigetant. In Goa *Lanha* nuncupatur. Luſitani verò fructum

fructum *Coquo* vocant, à tribus in eo conſpicuis foraminibus, quæ primo intuitu caput cercopitheci exprimere videntur. Auicenna hunc *Iauſial Indi*, id eſt, nucem Indicam appellat. Ex Malacca *Malayi*, arborem *Trican*, fructum *Nichor* dicunt.

Arbor hæc Indicarum omnium vtiliſſima & cõmodiſſima eſt, ſicut deinceps ex commemoratis illius vtilitatibus videbitur. Hæc maiore copia in Inſulis *Maldiuar*, & ad fines Goæ inſulæ, iuxtaque vniuerſum tractum littoralem Malabar, vbi cum fructu operoſas negotiationes agunt, eumque in varias regiones, vt Cambaiam & Ormum diſtrahunt diuenduntque, ſuccreſcit. Valdè procera & elata conſurgit, craſſitudinem non integræ ſpithamæ aſſequens, ramis tota vidua: in cuius ſummo cacumine folia emergunt, ſeſe latè in morem dactyliferæ palmæ quoquouerſum explicantia: quibus ad ſtipitis contiguitatem coquos fructus extuberat, ita vt illius 10. vel 12. quam proximè q. contruſi & colligati vnà dependere videantur. Solitarius vnus rarò offenditur. *Vbi potiſſimum creſcat.* *Fructus quo paſto prouemat.*

Flos fructum prægreſſus florem Caſtaneæ arboris æmulatur. Lignum arboris, rarum, fungoſum, fragile, minimeque denſum aut ſolidum eſt. In ſolis littoribus tum Oceani, tum fluminum aliorum grandiorum arbor enaſcitur, in locis nimirum ſabuloſis, aquarum aſpergine ſubinde rigatis. In penitiore terra nulla emergit. Radices nec profundius deorſum, nec latius in ambitum agit mittitue, ſed obiter q. in fundi ſuperficie reptantes: adeò, vt conſpicienti videatur, ad quemuis leuem motum arborem concuſſam vacillaturam. Nihilo tamen minus & ſtat firmiſſimè, & in eam aſſurgit altitudinem, vt ſi quem quis aſcendentem videat, horrore ei comæ arrigantur. Canaryni tanta agilitate & induſtria eas exuperant, vt ſimiis non ſegniores videantur. Aſcenſuri crenis ſeu ſcalis quibuſdam leuibus arborem aſperant, vt expeditius eò arrepere valeant. Quam eorum dexteritatem æmulari Luſitanorum nemo audet. *Flos.* *Radix.*

Arbores hoc ferè modo ſerunt plantantque. Coquos nuces in ſolum defodiunt. Ex his arbuſcula pullulat ſeu emergit. Quę ſi viri erecti altitudinem aſſecuta eſt, è natiua ſede exempta tranſplantatur, & hyberno tempore radix eius cinere obruitur ſeu fouetur, æſtate verò aqua crebrò rigatur. Iuxta platearum littoralium ædes facilè emergunt: vt luto eas foueri vegetariue commode haud ineptè exiſtimari queat. Diligenter cultæ, fructum ferunt haud multis à ſatione annis illapſis. Ex his Canaryni victum ſibi pręcipuum parant: ſub quibus etiam plerunque habitant & ſtabulantur, negotiationi nulli alij vacantes, quam vt luxuriem arborum tempeſtiuè reſecent. Has à dominis certo addicto pretio conducunt, & quem ex attentiore cura cultuque quæſtum facere poſſunt, ſibi radunt. Arboris huius ea in India frequentia eſt, vt numero oleas in Hiſpania, & ſalices in Holandia quã longiſſimè exuperent. Iam ad commoditates & vtilitates arboris vt tranſeamus, ſciendum eſt primò, lignum eius, etſi rarum & fungoſum, rebus quam plurimis vſui eſſe: idque potiſſimum propter proceritatem natiuam. Nam in Inſulis *Maldiuar* integras ex eo naues extruunt, vt nullis defixis clauis ad eas opus ſit. Quorum loco ligna funiculis illis, quos ex coquos fructu miro artificio torquent, firmiter conglutinãt colligantque. Nam & funes nauium reliqui ex eodem Cocos parantur: vela verò ex Cocos foliis, quæ *olas* vocant, texuntur: quibus Canaryni quoque ad contegendas ſuas ædes vtuntur. Ex eiuſdem materiæ tela pileos quoque contra tum ſolis vim, tum pluuiarum moleſtiam concinnant. Ex eadem etiam ſtoreæ, & tentoria affabrè ſuuntur, quibus *Pallanekyn*, geſtandis primariorum fœminis fabrefactæ, conteguntur. Sed & pilei longè pretioſiores inde parantur, qui propter ſummam teneritatem magno in pretio habentur: adeò, vt vnus 3. interdumque 4. pardauis veneat. Hæc & alia ſimilia ex foliis arboris parari ſolent. *Serendi modus* *Arborum copia.* *Vtilitates plurimæ.*

Coquos forma. Præter hactenus enarrata commoda, arbor id etiam vtilitatis habet, quod & coquos fructum proferat. Hic magnitudinem ſtruthiocamelini oui habet, ſi nucem interiorem per ſe conſideres: quæ tamen nunc maior, nunc minor pro indiuidui natura proditur. Hæc forinſecus cortice inducta eſt. qui ſi nux arbori adhuc appendet, putamen exterius nucis iuglandis refert. Nux vero hæc Indica putamine duplici conueſtita eſt, quorum extimum ſcabrum & filamentoſum eſt, ex quo rudentes cæteroſque funes incolæ conficiunt, quos *Cayro* nuncupant. *Funes Cayro.* Sed & hiatus rimaſque nauium his ipſis villis non ſecus ac cannabe aut muſco obturant: qui ad continendas tuendaſque naues commoditatem multò inſigniorem præſtant, quam quæuis vlla alia cognita materies. A ſalſa ſiquidem aqua commadefacti approbè intumeſcunt, & rimas hoc pacto exquiſitius obſtruunt. Ex putamine altero non Indi pocula ſolum fabricant, ſed & nos paſſim per Europam iiſdem vſibus illud accommodamus: quod vulgo ferè perſuaſum ſit, materiam illam vim quandam vino indere infuſo, quæ arcendæ apoplexiæ conſeruiat. Cuius nos fidem cuiuis liberam permittimus. Extimus, quem diximus, cortex nuci detractus, vt cannabis capilloſus aut villoſus eſt, ex quo laquei, funes, rudenteſque omnes parantur, quibuſcunque vel in maritimis vel terreſtribus negotiis obeundis opus eſt. Colore illi aſſimilantur funibus illis, qui in Hiſpania ex ſparto torquentur: & ſunt cæteris ex cannabe nō minus durabiles. Sed aſſeruandi tamen & immergendi crebrò aquæ marinæ ſunt, qua madefactione ſeipſis robuſtiores & tenaciores euadunt. In dulci aut pluuiali aqua conditi, facilè computrent, cum pice non ſint illiti. Qua equidem naui ex India in Portugalliam ſolueram, hæc nullos alios quam ex coquos funes paratos vſurpabat, quos *Cayro* indigenæ nuncupāt. Hi ad omniū quidem procellarum vim infracti durabant: ſed diebus ſingulis quatuordecim aqua marina commadefaciendi erant. Quo facto, cannabinis multò firmiores fiebant.

Nux Lanho, aqua pleniſſima. Fructus iam maturitati propinquus, Lanho dicitur, & intus aqueo humore totus confertus eſt, qui poſteà in candidum nucleum indureſcit eo interuallo, quo Lanho perfectè matureſcit. Nucleus hic verus fructus eſt, ſaporem cum noſtratibus auellanis eundem linguæ offerens, aut paulò dulciorem. Ex Lanho cum aqua potus optimus exprimitur, valdè limpidus claruſque: qui hauſtus dulcedinem & refrigerium blandum præſtat. *Aqua menſura.* Nux quælibet aquæ menſuram ferè dimidiam continet. Qui peregrinantur, ſi ſiti torquentur, in tranſitu Canarynos alloquuntur: qui è veſtigio cum cultro grandiore, dorſo innexo, arbores aſcendunt, & Lanhos tot præcidunt, quot ad votum viatorū ſunt. Horum apertorum ſuccum potandum præbent ad ſatietatem, nucem vnam vno vel binis *Baſaruccis* cenſentes aut æſtimantes. Tum temporis cortex interior (qui poſtmodum completè nuce maturata in lignum abit) tener adhuc & mollis, ſale conditus eſū gratiſſimus eſt, Cynaræ ſeu *Artiſchock* ſaporem præſentans. *Aqua ſalubritas.* Huius aquæ nucalis ad ſummam ſatietatem bibendæ impunitas eſt. Nec quiſquam ea vnquam lædi viſus eſt. Fructus, quanto maturatione plus accreſcit, tanto plus ſenſim aqua decreſcit minuiturque, nucleo interiore magis magiſque augeſcente, & in ſui augmentum humoris ſubſtantiam apponente. Quo ſemel incepto, aqua pòſt non æquè ſapida remanet, ſed acetoſum quid linguæ præbet.

Duratio coquos. Dum ſuis putaminibus coquos adhuc incluſi ſunt, citra corruptionem per omnem orbem diſtrahi poſſunt. In quorum diutina vectione nonnunquam accidit, vt Coquos aqua in flaueſcens pomum mutetur, quod optimū & guſtui valdè ſuauem ſaporem offert.

Cortice exteriore amoto, interior ad plurimos vſus aptatur. Nam ex eo culinaria cochlearia fingunt, manubrio ligneo in eum inſerto: quibus aquam ex vaſis aut hydriis hauriunt. Ex nuce eadem lagenulas quoque fabricant, quibus vinum

vinum profecturi aliquô recondunt. Sed & aurifabris carbonum loco ſunt, ad operas ſuas perficiendas.

Ex candido interiore nucleo, torcularibus ſuccum ſeu lac exprimunt, quo in culinis ad decoquendam oryzam vtuntur, quæ nunquam ſine illo decoqui ſolet. crudi alias à raris, imo vix à ſclauis & cæteris pauperioribus comedi ſolent, extra dictos vſus non magnoperè ſollicitati. Coquos ſi maturuerunt, confracto cortice nuclei incluſi ſiccantur: qui poſtmodũ magna copia ex Malabar in Cambaiam & Ormum, aliaque ſeptentrionalia loca, vt Goam, & regionem Ballagatten tranſuehuntur: quibus negotiantur illic haud inſtrenuè. *Lac ex nucleo coquos.*

Ex albente nucleo oleum quoque conficitur. Non enim ſecus ac oliuæ tunduntur: ex quibus oleum profluit, tum cibis, tum lucernis, tum pharmacopoliis commodiſſimum. *Oleum.*

ANNOTATIO D. PALVD.

EX dictis nucibus oleum duplex quæritur: vnum ex recentibus, quæ tunduntur, & aqua calente perfunduntur. Quo facto, oleum aquæ ſupernatat. Hoc ad purgandum ſtomachum & inteſtina vtuntur. Placidè enim & citra omnem vim aluum lenit mundatque. Quidam ex tamarindis expreſſum illi commiſcent: quæ tum medicina valdè ſalutaris eſt. Alterum ex copra ſeu reſiccatis nucleis extrahitur: quod & ipſum, præterquam quod euacuando ventri apprimè commodum eſt, tendonibus contractis reſiccatiſque, vt & inueteratæ iſchiadi, certa medela ſit. Hæc D. Palud. *Oleum duplex.*

NVCLEI ſiccati, quales negotiationibus traduntur, Copra vocantur. Si qui ſint ex incolis, qui Coquos ſeu fructum nullum deſiderent, florem eius reſecant, ad cuius ſedem vrceum anguſti orificij, *Callaco* dictum, exquiſitè applicant appenduntque, & iuncturam argilla exactiſſimè perlinunt, adeò, vt nec halitus ingredi, nec quicquam egredi poſſit. Hoc pacto diebus pauculis vrceus aqua totus completur, valdè dulci & ſuaui, adeò, vt ſerum quoque dulciſſimum ſapore exuperet. Hæc aqua indigenis *Sura* dicitur. *Copra quid?* *Sura quid.*

HOc artificio collecta aqua ad feruorem tum hepatis, tum renum leniendum apprimè conducit. Sed membra quoque virilia, pure & tabo manantia, promte emundat extergitque. Huc vſque Palud. *Vſus ſuræ.*

IPSA hæc aqua dimidiæ horæ ſpatio ſoli expoſita, in acetum faceſſit fortiſſimum, vt vſibus quotidianis melius nullum per omnem Indiam confici queat. Huius apud D. Paludanum haud parum reperiri licet. Eadē aqua ſura, Alembico deſtillata, *Fula* ſeu *Nype* fit, id eſt, vinum ſublimatum præſtantiſſimum, quod pręſtantia ſua ne Rhenenſi quidem cedit. Sed & alio modo deſtillata *Sura*, *Vraca* fit. Vinum id Indianum eſt, valdè bonum *Ex ſura acetum optimum.* *Fula quid?* *Vraca quid?*

bonum & nobile. Nam præter hoc, natiuum nullum ſciunt. Id etſi quidem feruidum & robuſtum ſit, ab Indianis tamen aquæ more combibitur. Colorem habet pellucentem, album.

Vini Indici parandi ratio. Luſitani vinum illud hoc modo conficiunt. Vracam doliis infundunt. Horum cuilibet tres pluresue Handas (certæ menſuræ id nomen eſt) paſſularum cyanearum, cum mercibus cæteris ex Ormo importari ſolitarum, iniiciunt. Handa verò quælibet 12. ferè librarum eſt. Hæ ergò mundatæ prius doliis induntur, cuius orificium apertum relinquunt. Attamen, ne perpetua ebullitione dolium rumpatur, ad ſummum vſque illud non complent. Miſcella diebus ſingulis ſemel agitatur. Die. 14. vel. 15. Vraca tam amabiliter rubicante colore imbuitur, vt hoc non minus, quam ipſo ſapore natiuum vinum Luſitanicum æmuletur. Quorum diſcretio vel internotio peritis quoque perſæpè imponere *Nomen.* ſolet. Vinum huiuſmodi, vinum de paſſa, h. e. de paſſulis ſeu paſſulatum nuncupatur, quod mercatores negotiationibus tum in *Bengalam*, tum *Malaccam*, tum *Chynam* locoſque alios remotiores certo quæſtu diſtrahunt. Goæ dolium huius vini vnum. 30. ferè pardauis vendi ſolitat.

Iagra quid, & eius conficiendæ modus. Ex *Sura* ſupra dicta ſaccharum quoque paratur, Iagra dictum. Parandi modus hic eſt. Aquam decoquunt: decoctam ſoli exponunt. Huius vi aqua ſpiſſatur cogiturque in ſacchari ſubſtantiam: quod tamen non nimiopere æſtimatur, cum tota India ſacchari candidi copia diues ſit.

Palmito. Subſtantia arboris huius interior *Palmito* vocatur, quæ eius medulla ſeu cor eſt. Hæc in magno eſt pretio, & ſingularis honorarij loco primatibus offerri ſolet. Papyrum ea & tenuitate & candore refert, intuentibus quaſi de induſtria conuoluta apparens. Similis ferè eſt Belgicarum fœminarum palliis, quæ *Hedycken* vocantur, quæ plicis interdum 50. vel 60. conſtricta & compreſſa *Papyrus qualis Indis.* geſtantur. Hanc ſubſtantiam plicatilem Indi pro papyro vſurpant. In his recentibus voluminibus ferreo ſtylo ſubtili literas quaſdam deſcribunt: quæ dein reſiccato volumine deleri non poſſunt. Indi Ollam vocant: qua omnes ſuos liberos & monumenta rerum cuſtodiunt. Quin imò, eadem & pro vltrò citroque miſſilibus literis vtuntur, ſingulari dexteritate ad papyri noſtræ modum complicatis obſignatiſque. Hæc papyrus Indica, Indicis literis deſignata apud Doct. Paludanum cuilibet deſideranti exhibenda proſtat, qui eius paginas à me non paucas honorario accepit.

Huiuſmodi arborum copia maxima in Inſulis *Maldiuar* prouenit. Vbi coquos quoque reperiuntur, contra venena omnia in vniuerſum efficaces.

ANNOT. D. PALVD.

GARCIAS & Coſta narrationem hanc fabuloſam arbitrantur. Et Coſta quidem, ſe harum virium explorandarum multoties experimentum factitaſſe, ſed tantam in fructu virtutem nunquam comperiſſe, audacter affirmat. Cui & meum exemplum aſtipulari velim. Hæc Palud.

INSVLÆ dictæ, negotiationibus aliis nullis celebres ſunt, quam quas *Cayro*, vnde funes conficiunt, & *Copra*, id eſt, nucleo coquos candido, vnde oleum exprimunt, inſtituunt. Incolæ harum, nauibus ſuis ſæpè Indiam adeunt: quarum omnis ſtructura, commeatus,

tus,

tus, merceſque ex ſola hac arbore conſtant parantúrque. Vnde facile colligere eſt, quam quæſtuoſas negotiationes hæc vnica illorum arbor præbeat.

Cap. XIII.

DE FRVCTV DVRYOEN EX Malacca.

DVRYOEN fructus eſt, præterquam in Malacca nullibi proueniens: qui ſemel guſtatus ſolemne ilicò hoc Encomium apud omnes obtinet, quod ſuauitate ſimilis illi nullus toto orbe fructus producatur. Ad apertionem primam ille putridum cæpe redolet: ſed dotem tamen diuinam illam omnem guſtui profundit. Magnitudinem Melonis habet, ſpecie externa laacæ ſimilis, ſed aſperior nonnihil & ſpinoſior. Foris cortice caſtanearum ſimili veſtitur. Intus vt laaca interſepta cellulis eſt, quibus fructus principalis conditur, oui gallinacei magnitudinem æquans. Nuclei ſeu caſtaneæ fructui ſeu putamini exteriori incluſæ, nucleos perſicorum fermè figura referunt.

Duryoën nobilitas & principatus.

Facies.

Fructus hic non ſapit aliter, quam opiparum illud & Sybariticũ ferculum, quod in Hiſpania illuſtribus & lautiſſimis conuiuiis apparatur, quod *Mangier Blanco* nuncupant, & ex carne gallinacea cum ſacchato deſtillata conficiunt. Huius fructus mater, laacæ per omnia ferè ſimilis eſt. Flos eius ex candore nonnihil flaueſcit. Folia ſemi ſpithamæ magnitudine ſunt, prorſum acuminata, interius ſplendida, foris ex nigro viridantia.

Ferculum Hiſpanicum, Mãgier blanco.

ANNOTAT. D. PALVD.

TANTAE ſuauitatis, tam nectarei ſaporis fructus quidã in Malacca emergit, vt reliquos in vniuerſum omnes, quos paſsim tota India, tũ ipſa Malacca præſtãtiſsimos delicatiſsimoſq; producunt, longiſsimè exuperet. Is in Malayo, vbi loci prouenit, Duryaoen, flos eius Buaa, arbor Batan nominatur. Hæc procera & elata admodum eſt, ligno firmo & denſo conſtans, cæruleo cortice veſtita, ramis multis vt & fructibus frequentiſsimis prægnans & ſuperbiens. Flos ex candido luteolus eſt. Folia ſpithamæ dimidiæ longitudinem, duorum triumue digitorũ tranſuerſorum latitudinem habet, in ambitu nonnihil ſerrata, foris ex nigro viridia, intus plus reſplendentia. Fructus hic Melonis magnitudine, cortice duro, in ambitu frequentibus duris aculeis armato obductus eſt, qui facie exteriore viret, & lineis aliquot, Melonis forma conſeptus eſt. Intus ſecundum longitudinem quatuor cellis dirpermptus eſt: quarum quælibet inſuper triplici quadruplicíue ſepi-

Nomina.

Facies.

Magnitudo.

Diſcretio.

 mento

mento peculiariter ſubdiſtincta viſitur, ita, vt ſingulæ plicæ ternos aut quaternos fructus cõtineant, vt lac candidos, ouum maiuſculum gallinæ æquantes, tum guſtu tum odoratu ſuaues, ſapore autem ad vnguem ferè iuſculo illi albo, quod Hiſpani ex Oryza, pulpa Caponis & aqua Roſarum paratum Mangier blanco nuncupant, ſimile. Horum fructuũ, qui dum intus continentur, flaueſcunt, nec albicant, hi aut ab aeris aut pluuiarum iniuria tacti perierunt. Ex his optimi illi cenſentur, qui tribus ſaltem intus nucleis prægnantes ſunt: à quibus illi putantur, qui ſaltem quatuor. Qui quinque gerunt, aut qui rimis diducti ſunt, vitioſi ſunt. Jn quouis pomo rarò vltra 20. fructus concluduntur: quorum quilibet nucleum, perſici non abſimilem, ſed tamen longiuſculum condit. Hi vorati, fauces immaturorum meſpilorum more exaſperant. Qua cauſa in cibum non aſſumuntur.

Temperamentum. *Fructus temperamento calido & humido eſt. Quos qui eſuri ſunt, in terram abiectos pedibus obuolutando leuiter obterunt, vt hoc pactò rigentes aculei diffringantur. Hunc, qui prius non guſtarunt, cum primum aperiunt, odorem naribus putreſcentis cæpæ obſpirantem ſentiunt. Semel verò manducatus, deinceps tum odore tum ſapore ſuauiſſimus omnium creditur. Ab indigenis in tantum amatur & appetitur, vt eo ſaturari ſe nunquam poſſe aperte profiteantur. Vnde fit, vt honoraria illi vocabula ſeu nomina paſſim indant, & in eius gratiam rhythmos condãt, etſi in Malacca copia proueniat non vulgari, & fructus vnus nõ vltra Maluedos quatuor veneat, menſib. comprimis Iunio, Iulio & Auguſto, vbi eius ſingularis abundantia. Nam cæteris menſibus pluris quoq; æſtimari ſolent.*

Antipathia mira fructus Duryoën, & folij Bettele. *Hoc loco mirabile quoddam & natiuum diſſidium, quod Antipathiam vocant, inter Duryoën & folia Bettele obſeruandum eſt: quod tam atrox gliſcit, vt, ſi fructu Duryoën vel integra nauis, vel ſpatioſus fornix confertus ſit, illi vniuerſi breui putreſcant & pereant, modò Bettele ſaltem folia aliquot ipſis in vicinia interſint. Quinimò, ſi immodica ex ingeſtione Duryoën, ſtomachus oggrauetur & inflammetur, tum vnico tantum Bettele folio, eius orificio extrinſecus impoſito, & tu-*

mor

morabit, & inflammatio tollitur. Idem faciunt Bettele folia quoque introrſum ſumpta: adeò, vt folia hæc antidotum certiſſimam contra quaſcunuis ex Duryoën contractas noxas præſtent. Fructus dictus cum omnium ſuauiſsimus & ſapidiſsimus exiſtat, apud incolas in prouerbium abijt, Duryoën nullam vnquam ſatietatem eſſe. Hæc Palud. Prouerbium apud Indos.

Cap XIV.

DE ARBORE ARVORE DE RAYS, Radicoſa dicta: Item de Bambo, ſiue Iunco Indico.

ARBOR hæc mira & iucunda aſpectu eſt. Ex radice vt cæteræ vniuerſæ emergens, in truncum abit: hic in ramos diſpeſcitur. Rami hi cum ſe diducunt aut effundunt, verſus ſolum ſe iterū declinant: in quod ſe nouiter inſerentes, radices recentes agunt, creſcuntque. Arbor hæc quo grandior fit, eò radiculas plures demittit: vt è longinquo aſpicienti arbor dependentibus vndique funiculis onerata putetur. Tandem illa in immenſum patorem dilatatur, multis ſurculis ſeu fruticibus labyrinthi in modum inuicem quaſi innexis intortiſque conſepta. Huius ego generis arbores quaſdam paſſus 30. vel 40. in circuitu latas obtuitus ſum: quarum rami ſeu propendentiæ eouſque craſſeſcunt ſucceſſu temporis, vt primarium ex illis diſcernere truncum magni laboris ſit. Quo antiquior arbor: eò fuſiores rami, perpetuis & creberrimis radiculis adeò fruticantes, vt nonnullibi nec viſui tranſitus ſit. Fructum commodum vtilemq; nullum arbor gignit, ſed oliuæ quid ſimile protrudit, quod à volucribus deuoratur. *Arbor radicoſa, mira.*

ANNOTAT. D. PALVDANI.

CAROLVS Cluſius, qui arborem hanc fideliter & conſideratè deſcripſit, eam autoritate Plinij fretus Ficum Indicam nominat: de qua hæc commentatur, quod in præſignem altitudinem aſſurgat, principio ex ſtipite leui ſumpto, qui ex ſeſe frequentia, anguſta & tenera filamenta defundat, quæ iuuencula colorem aureum referant, & ſenſim in terram ſe defigentia arboreſcant, craſsitiemque cum trunco primo eandem nanciſcantur, vt diſcretio difficilis ſit. Primarij ſtipitis craſsities trium interdum orgyarum eſt: in cuius omni ambitu quoquouerſum rami creberrimi alij enaſcuntur, adeò, vt vna ſæpè arbor miliare paruum Italicum ſuo circuitu extendatur. Nec inferiores ſaltem rami villos huiuſmodi fundunt, verum & Car. Cluſii ſententia. Arboris capacitas.

 ipſi

ipſi qui ſummo in cacumine ſunt, vt omnium propendentijs in vnum collatis quædam quaſi ſyluula conſtituatur.

Sub arbore hac vt vagari aut prodeambulare liberius queant Indi, ramos quoſdam detrũcant, vt ad tranſitum via ſeu trames pateat. Ibi ergò, cum ſolis radij penetrare nõ poßint, vmbram & refrigerium captant. Sed & propter crebros fornices, qui à ramorum frequentia conſtituuntur, tanta emiſſæ vocis reflexio ſeu repercußio fit, vt echò vice tertia quartaue clamorem expeditè reddat; multò expreßius, quàm in templis aut ædificijs cameratis alijs accidit. Arboris huius hiſtoriam qui Carolo Cluſio narrauit, quandam alicubi ſe vidiſſe prædicat, ſub qua 800. aut 1000. homines, in quorum numero & ipſe fuiſſet, agere vel morari potuerint: hoc q. præter fidem addens, reperiri quaſdam, quæ 3000. quoque virûm captent.

Statio virorum 800. 1000. & 3000. ſub vna arbore.

Quæ folia à recentibus ramis prodeunt, cydoniorum ferè ſunt ſimilia: quorum facies externa viridis, interna alba & villoſa exiſtat. Hæc ab Elephantis auide vorantur, adeò, vt paſtum ab ijs ſortiantur præcipuum.

Fructus pollicis priorẽ articulum obiter exprimit, ficum paruum æmulans. Flos hunc præcedit vtrobique rubeus. Interius tenuißimis granulis ceu Cenchramidibus fructus prægnans eſt, intra recentium ramorum folia non ſecus ac vulgares fici protuberans.

Solum natale arboris huius.

Frequens arbor hæc in Goa & locis finitimis prouenit: quam veteribus quoque noſtris approbe cognitam fuiſſe, Cluſius & ex Curtio, Plinio & Strabone fidẽ molitur. Quem legat, de his qui plura ſatagit, lib. de Ficubus Indicis. Huc vſque D. Paludanus.

Angelina arbor.

Monoxylæ naues.

ALIARVM quoque arborum craſſarum grandiumque India ferax eſt, ex quibus naues conduntur. Talis apud Cochinum nomine *Angelina* dicta prouenit, ex qua naues *Tones* vocatas extruunt, tam grandes, vt vna 20. vel 30. dolia aquatica vehi commodè poſſint. Iuncturis illæ nullis vniuntur, ſed ex ſolido & continuo trunco excauãtur. Vnde craſſities huius arboris æſtimari facilè poteſt. Lignum quoq; huius adeò durum & ſolidum eſt, vt temporis mora ferrum quoque atterat.

Canna ſaccharina.

Cannæ ſaccharinæ in India vbiuis ingenti copia ſuccreſcunt, vbi tamen pretij ſunt haud magni. Sed & in vniuerſo Malabar littore, præcipuè autem iuxta Choramandel iuncus craſſus quidam prouenit, quem Indi *Mambu*, Luſitani verò *Bambu* vocitant. In hoc peculiaris quædam materia lateſcit, attactu friabilis, aſpectu medullã illam referens, quæ è calamis ſcriptoriis extrahitur. Hanc

Indi

Indi *Sacar Mambu*, id eſt, ſaccharũ de Mambu nũcupant: quod propter inſignem medicamẽtoſam vim magni fit, & ab Arabibus, Perſis & AEthiopibus, qui illud *Tabaxyr* vocant, auidè coëmitur. *Sacar Mambu ſeu Tabaxyr.*

ANNOT. D. PALVD.

TABAXYR vocabulum Perſicum, nihil aliud quàm lacteam albicantemque humiditatem, ſeu concretum conſiſtentemque ſuccum, alias Sacar Mambu ideò dictum, quod arundo, ex qua auellitur, Mambu nominatur, ſignificat. Quæ Tabaxyr arbores proferunt, illarum aliæ æquant populos, nonnullæ minores ſunt, rectis ſolidiſque plerunque ramis diffuſæ: qui tamen opera hominum ita interdum decuruantur, vt æſtiua tabernacula, aut vmbroſa ambulacra otiantibus præbeant. Folia oliuarum folijs aliquanto longiora ſunt. Ad cuiuslibet rami è caudice egreſſum, dulcis quidam humor, aquæ permixto amylo ſimilis generatur, copioſior interdum, interdum paucior. Nec tamen vbiuis aut omnibus ex arboribus humor iſte colligitur, verum ex ſolis illis, quæ in Biſnagar & aliquot Malabar prouincijs proueniunt. Hæc D. Palud. *Tabaxyr quid? Humor arboris.*

TABAXYR hoc ſeu *Sacar Mambu* in Perſia plerunq; æquali argento appenditur, ita vt eo ſtrenuè negotientur mercatores Perſici. Materia hæc in nodis ſeu iuncturis arboris generatur, plerunque albicans, interdum nigricans, interdum cineris colorem præſentans.

ANNOTAT. D. PALVD.

TABAXYR etſi nonnullum nigrum ſit, non tamen ob id ſpretum abijcitur. Nigredinem ſiquidem nonnunquam ab humiditate ſuperflua: nonnunquam à diuturniore in ligno adhæſione contrahit. Nec, quod multi putant, omne à ſolis exuſtione tale redditur. Huius meminit Rhaſes lib. 3. c. 36. Serapio li. de Medicinis cap. 342. & Auicenna lib. 2. cap. 617. qui Tabaxyr ex radice quadam, ſolis vi q. exuſta fieri aſſerit. Cuius ſententia apertè falſa ex hoc loco conuincitur. Hucuſque D. Palud. *Auicennæ ſententia improbatur.*

INDI Tabaxyr aduerſus affectus aut vitia pudendorũ, vt & contra febres, paſſionem colicam, dyſenteriam, & ſimiles alios morbos vtuntur. Arundo verò ipſa copioſè iuxta littus Choramandel in *Biſnagar* & *Malacca* creſcit, altitudine aſſurgens haud modica, adeò, *Tabaxyr vires & facultates.*

nimirum vt altiſſimam quanque eius loci domum tranſcendat. craſſitiem femoris virilis aſſequens: cuius articuli ſpithamæ vnius cum dimidia interuallo diſtant. Teneram adhuc & flexilem indigenæ nonnunquam incuruant, ex qua dein ſolidiore facta, *Pallankyn* fabricant, quibus magnates Luſitani de loco ad locum portari ſueuerunt. Folia huius à ſe longius diſtant inuicem, oliuæ foliis non omninò diſſimilia.

ANNOT. D. PALVD.

Nauiculæ ex vna arundine.

EX arundine Bambu Indi nonnullibi nauiculas, duobus viris capiendis aptas, hoc modo extruunt. Craſſioris arundinis duos articulos præcidunt, quos continuos inſtrumentis idoneis excauant. In his dein nudi conſident, pedes in crucis modum intorquentes, & remis contiſue nauiculam valido robore etiam contra vndarum occurſum promouentes. Illarum vſus in flumine Granganor frequens eſt. Indis perſuaſum eſt, nauiculas has à Crocodilis nunquam infeſtari, à quibus tamen alias naues nullæ in omni iſta regione tutæ ſint.

Arundinis ſecreta vis contra Crocodilos.

Cap. XV.

DE ARBORE, TRISTI DICTA.

Arbor triſtis.

INDIA arborem quoque aliam fert; incolis *Arbore triſte* dictam, quod nunquam niſi noctu floreat: idq; toto anni decurſu conſtanter. Quæ res admiratione digniſſima eſt. Quoties enim cumque ſol occidit, flore omni vidua eſt, ſemihoræ verò elapſo ſpatio continuo floribus adeò turget, vt & viſus ſpectaculo, & odoratu nares ſuauiſſimè afficiantur. Die dein rurſus appropinquante, cum iam ſol Orienti vicinus eſt, flores ad vnum omnes derepentè decidunt, vt ne vnicus in arbore reliquus maneat, delapſis illis terra vndiquaque perſperſa. Ad ſolis aſpectum ipſa quoque folia ſe quaſi occulunt clauduntque adeò, vt illius præſentis calore vel vi arboris omnis ſuccus exhauriri videatur, qui à diſceſſu eiuſdem pòſt iterum quaſi cumulatius refluat. Vnde fit, vt quæ toto die ſine floribus arbor conſpicua eſt, noctu iiſdem ornata pulcherrimè compareat.

Facies.

Arbor dicta pruni magnitudine, iuxta domos plerunque ſata creſcit, vt natiua odoratus dote illas ſuauiter adflet. ſemel ſata, facilè ſuccreſcit: cuius rami etiam vlnæ altitudinem aſſecuti, floribus illico turgentiſſimi ſunt. Arbor ferro ad radicem vſque detruncata, anni dimidij ſpacio citius repullulans, & ramos & flores confertè producit. Ex eadem ramus auulſus ſi terra defodiatur, & radices illico profundas agit, & breui tempore pulcherrimè floret. Flos aurantiorum ferè ſimilis eſt, candidus, pediculo tamen luteo aut rubeo firmatus, qui Indis croci loco tum in coquendo tum tingendo vſurpatur. Qui etſi croci noſtri bonitatem non æquet: melioris tamen vices obit non temmendas.

Crocus Indorum.

ANNOT.

ANNOTAT. D PALVD.

DE huius flore aquam deſtillatam quidam commemorant, eam oculis affectis commodam eſſe, ſi lintea in ea imbuta imponantur. Hoc D. Palud.

ARBOREM hanc nuſquam niſi in Goa & Malacca, lociſque aliis compluſculis, vbi à Luſitanis ſatæ & vulgariores factæ ſunt, reperire licet: cum ex Malacca primum in Indiam illatæ fuerint. In terra penitiore earum nulla inuenitur. In Malacca arbor *Singady*: in Decanyn *Pariſatico*, in Decã*pul*: in Arabia *Guart*: in Perſia & Turcia *Gul* vocatur. *Pariſatico* vocabulum à fabella quadam exortum eſt: quam Indi talem narrant. Fuiſſe nempe nobilem quẽdam *Pariſatico* nuncupatum, cuius filiam pulcherrimam & lepidiſſimam Sol ardentiſſimo amore tandiu deperiiſſet, dum tandem eius copiam impetraſſet. Quo facto, cum poſteà à ſole, amorem ſuum alij impendente, contumelioſè ſpreta desereretur, virginem deſperatam ſibi ipſi mortem conſciuiſſe. Quæ tandem cum more patrio ſtructa pyra cremata fuiſſet, ex relictis cineribus hanc arborem prodiiſſe, quæ nobilis amatoris vocabulo adhuc inſignis ſit. Arborem verò interdiu ideò non florere perſuaſum habent, quod perpetuo odio & inimicitia cum ſole adhuc æſtuet; nec præſenti illi aſpectum ſuæ pulchritudinis faueat. De die itaque ſterilis, ſola nocte ſuum decus iactat & profert. *Locus natiuus.* *Fabula de arbore triſti.*

ANNOT. D. PALVD.

ARBOREM hanc Chriſtophorus à Coſta hoc ferè modo deſcripſit. Forma nimirum & magnitudine pruni eſſe, multis ramulis nodiſque interſtinctam, ex quorum ſingulis bina folia ſibi inuicem oppoſita enaſcantur, pruni folijs ſimilia, mollia & extima facie, non ſecus ac ſaluiæ folia exaſperata, interiore verò viridi & nonnihil acuminata: in ambitu non æquè cum pruni folijs ſerrata, nec tam frequentibus fibris firmata. In foliorum medio pedunculus prorumpit, nodulis quinque conſpicuus. Singuli noduli ſeu capitella ex rotundis quatuor foliolis, aurantiorum æmulis, ſed aliquantò minoribus, pulchrioribus & odoratioribus conſtant. Pediculus dictus quo Indi croci loco cibos ſuos condiunt tinguntque, plus rubet quam flauet. Fructus eius vireſcens lupini magnitudine eſt, cordis figura per medium diſſecti: in cuius vtroque latere ſeparatæ q. cellæ ſunt, ſeminibus ſuis, cordis formam referentibus, & lapillum Xylocaractæ æmulantibus, foriſque pellicula viridi veſtitis prægnantes. *Fructus conditio.*

Flos huius arboris cæteris omnibus odoratior & ſuauior *Flos qualis.*

eſt,

eſt, dum modò manibus non contrectetur. Semel enim attactus, odorem illicò perdit, & flacceſcit. Indis perſuaſum eſt, florem hunc cordialem eſſe, & occulta vi cor apprimè roborare, cibis permiſcendis valde vtilem. Ethnici medici ipſum ſemen quoque Cardiacum faciunt. Semen hoc in Luſitania multoties ſatum, nunquam tamen etiam ſub culturam exquiſitiſſimam *Decidentia florum cauſa phyſica.* *prodijt aut emerſit. Flores huius arboris ad ſolis appulſum decidunt, aut ob naturalem quandam, quam inuicem fouent, antipathiam, aut propter ſucci ſummam ſubtilitatem, qui ad primum ſolis ortum illico abſumptus euaneſcat. Nam à ſole qui* *Aquæ è floribus facultas.* *tuti ſunt, arboribus ſuis diutius cohærent. Ex floribus his, quos ſtudioſe colligunt, odoratam & halituoſam aquam extillant, quam aquam de Mogli appellant. Semen huius arboris, huius libri autor ſecum ex India allatum mihi communicauit: quod à me ſatum tamen non prodijt. Huc vſque D. Palud.*

Cap. XVI.

DE FOLIIS BETTELE, ET FRVctu Arecca.

Bettele. BETTELE ſiue Bettre folia, in omni paſſim India vulgaria, & in cibum quotidianum à quibuſuis aſſumpta, vbiuis locorum in India naſcuntur, Luſitanis quoque cognita, ſed iis tantum, qui mare accolunt, non qui in regione penitiore habitāt. In frigidis locis qualis Chyna eſt, vt & cōtrà in nimiū feruidis, qualis Mozambique & Sofala, nunquam prouenit. Huius cum frequentiſſimus apud omnes vſus ſit, ſicut paſſim in noſtra deſignatione commeminimus: ideò eius explicationem paulò fuſiorem ordiemur.

Foliorum conditio. Folia aurantiorum quadam tenus ſimilia ſunt, non tamen æquè acuminata. Frutex proximè defixis ſtipitibus ſe implicans, in altum conſurgit, non ſecus ac piper: cui adeò ſimilis eſt, vt propius vnà conſiti è longo ægrè diſcerni queant. Fructum nullum præter quam folia, fert, quorum plantatio & excultio ſolemnis eſt.

Folia decerpta, diutiſſimè durant, nec facilè marceſcunt, ſed continenter *Cibus ſolennis Indorum.* quaſi recentia vigent. Ea numero duodenario vendi ſolent. Nemo vel virorum vel fœminarum Indicorum eſt, qui non duodena integra vna, bina, ternaue voret, non prandij quidem cœnæue loco, ſed tempore his interiecto omni, ſeu id matutinū ſit, ſeu pomeridianum, ſeu poſtcœnium, idque cum domi, tum foris in plateis publicis. Et vt verbo dicam, quocunque loco vel ſtant, vel ſedent, vel ambulant, folia hæc perpetuo rodunt & mandunt, rarò tamen ſolitaria. Nam propter inſignem amaritudinem, qua pollent, fructum peculiarem quendam vnà manducant, quē Malabari & Luſitani *Arecca:* Guſarattæ & Decanyni *Supary:* Arabes verò *Fauffel* nominant.

Fru-

Fructum hunc arbor quædam palmæ, nucis Indicæ coquos dictæ feracis, ſimilis generat. Gracilior tamen illâ eſt, & folia fert anguſtiora minoraq;. Forma fructus baccæ Cupreſſi ſeu nucis muſcatæ eſt: niſi quod latere vno preſſior, altero latior, durior maiorq; exiſtat. Hunc forcipe tranſuerſum ſecant, & cum *Bettele* maſticatum edunt, intus fibroſum ex candido purpurantem. *Arecca deſcriptio.*

Arecca quoque genus aliud eſt, *Checanyn* dictum, priore minus, nigricantius, durius. Hoc & ipſum cum *Bettele* arrodunt, nulla tamen ſaporis ſuauitate, cum lignum ferè reſipiat. Os tamen abundè humectat, & rubeo colore nigrori permixto tingit; vt labra dentesque non ſecus ac cruore rubeo nigroque delibuti appareant. *Genera.*

Illius quoque tertium genus quoddam eſt, à cuius maſticatione homo non ſecus inebriatur, ac ſi toto die vinum appotaſſet: adeò vt in vtrumq; latus viciſſitudine quadam titubet. Hæc tamen ebrietas facile ſoluitur & vaneſcit. *Arecca inebrians.*

Præter dicta hactenus cum *Bettele* paſtillos quoque quoſdam mandunt, ex arboris *Kaate* ligno concinnatos. Quo tamẽ caſu *Bettele* folia prius calce, ex oſtrearum teſtis exuſtis parata, oblinunt. Quæ hoc pacto eſitata, corpori nullum damnũ ingerunt, niſi ſi quid ab immodica quantitate fiat. Miſcellæ huius ſuccum ſorptum (nam ſubſtantiam craſſiorem cæteram rurſus expuunt) pro roborando ventre, & anhelitus grauitate tollenda, nec minus pro dentibus firmandis & gingiuarum carne aſtringenda, tandem pro ſcorbuto abigendo, valde idoneum & ſalutarem affirmant. Id quod & euentus ipſius certitudine confirmatur. Nam Indorum haud quenquam facilè inuenias, qui aut fœtorem anhelitus, aut dentium dolorem, aut ſcorbutum, aut his quid ſimile experiatur. Quinimo, vel ad ſenij ſummum terminum prouecti, dentium ſuorum ſeriem integram ſaniſſimamque poſſident. Labra tamen eorum dentesque non ſecus ac atro cruore perfuſa comparent: ſaliuamque iugiter, cruori haud abſimilem expuunt. *Paſtilli Kaato.* *Bettele eſitanda præparatio.* *Facultates.*

Ab Indis deducta aſſuetudine Luſitanę quoque mulieres *Bettele* comedere didicerunt, vt ſine illis incommodius ſe iam viuere arbitrentur. Somni tempore eadem iuxta ſuos lectos deponunt: vt vigiliis infeſtantibus ea mandant. De die, vbicunque ſtant, ſedent, ambulant, niſi *Bettele* manducent, nihil agunt: vnde à iugi illa maſticatione non ſecus ac pecora ruminare videntur. Penſum enim mulieres iſtæ hoc diurnum vnicum habent, vt ſe probe lauent ornentque, & terẽdò *Bettele* fatigent. Quem illarum morem Luſitani quoque viri aliquot, molliores exemplo non adprobo æmulari didicêre.

Quotiescunque Indici vel viri vel fœminæ ſe inuicem viſitant, *Bettele* folia ſecum ferunt, quibus appoſitis & mutuò ad edendum cum *Arecca* q. propinatis tractationem ſingularem affectant.

Eadem in omnibus platearum angulis, viciſque hominum tranſitu celebribus, ita præparata venalia proſtant, vt cuilibet ſcire facile ſit, quot folia *Bettele* ad *Areccam* vnam & calcis modicum requirantur. Poſcentibus interdum de *Kaate* quoque aliquid additur, vt nihil medicinæ deſit. Hęc omnia, vnica patina ſeu ciſtella, capſis in rem hãc diſcreta ſecum ferunt: ex qua primò fruſtillum de *Arecca & Kaate* maſticant. His deinde folium vnum *Bettele* addunt, cuius venas ſeu fibras pollicis vngue, quem in hunc vſum, non vt nos, latum rotundumque, ſed longius prominentem alunt, euellunt, & micis aliquot de calce illinunt: hocque pacto folium paratum conuoluunt, ori indunt, manducantque. Ex prima maſticatione enatam ſaliuam expuunt, qua ventriculum caputque ſuperfluis prauis humiditatibus expurgari contendunt. Quicquid huius expuitur, atro cruori ſimile eſt, quem colorem ex *Arecca* contrahit. Succum verò alterum, longiore manſu enatum, deglutiunt.

Et vt vna ſumma omnem hanc hiſtoriam repetam, in omnibus viis viciſ-

que cum ſuo *Bettele* & reliquis vnà commemoratis oberrant, nunquam feriantes aut à maſticatione deſiſtentes. Primores adituri alloquium eorum valde ignominioſum fore perſuaſum habent, niſi prius *Bettele* comediſſent. Ita enim animam puriorem ſuauioremque efflare ſolitant.

ANNOTAT. D. PALVD.

IPSAE quoque mulieres, cum maritis ſuis rem habituræ, Bettele prius manducant, libidinis ſtimulos eo exacui credentes. Indi folia hæc vberius à cibo ſumpto ingerunt, illorum vi ructuum prouentum arceri credentes. Horum eſui, qui ſemel aſſuefactus, poſteà vſum continuum abdicat: huic animam fœtentem fieri, pro comperto aſſerunt. A quibus tamen vt abſtineant, certis quibuſdam temporibus alligantur: vt ſi cognatorum quidam diem ſuum obierit, aut dies ieiunio deſtinata inſtet. Quod exemplum quoque Arabes, & aſſeclæ Hali, Mahometis affinis, ſuis ieiunijs ordinarijs ſequuntur.

A Bettele quãdo abſtineant Indi.

Nomina Bettele.

Folia hæc in Malabar Bettele: in Decan, Guſaratte, & Canampam: in Malacca Siri vocantur. Auicennæ Tembul dicitur, multò aptius, quam reliquis Tamdul. De Bettele folio Auicenna commentatur, eo manſo dentes firmari, & ventriculi robur foueri: qua gratia quoque ab Indis manducatur Quod verò iuxta addit, folia frigida in primo & ſicca in ſecundo gradu eſſe, id præter rei euidentiam omnem dicitur. Vt neceſſe ſit, aut ipſum autorem in examinãdo folio lapſum eſſe, aut vitio & inſcitia interpretum illud hoc pacto redditum eſſe. Folia ſiquidem calida & ſicca in fine ſecundi gradus eſſe, & ſenſus index eſt, & Garcias ab Horto idem ſua experientia confirmat, ab odore & guſtatu calidis deſumpta.

Auicenna lapſus.

Temperamentum Bettele.

Facies.

Alias ipſa folia mali medicæ ſimilia ſunt, ſed tamen longiora, & in extremo acutiora, ſecundum rectitudinem exertas quaſdam venulas habentia. Probè matura flaua ſunt, quæ tum optima habentur. Quanquam & immatura, quædam fœminæ illis meliora rentur, quod in mandendo q. nonnihil ſubcrepent. Immatura tamen manibus aliquoties contrectata, facilè pereunt aut marceſcunt.

Frutex Bettele, in Malacca fructum quendam edit,

lacertæ

lacertæ caudam æmulantem: qui, quod ſaporis haud ingrati ſit, ab indigenis & ipſe mandi ſolet. Suffixis palis educantur, non ſecus ac vitis vinifera. Ex his commodum nonnulli vberius quærentes, piperi aut arecca eos quam proximè applantant, vt reflexis & in Cameræ formam contortis illis iucunda ambulacra habeant. Bettele frutices ſati, diligenter excolendi, crebraque aſpergine rigandi ſunt. His plura qui de illis ſciturit, in proprio capite Garciam ab Horto lectitet. Hæc D. Palud. *Fructus.*

INDIÆ Magnates & Reguli, quocunque locorum vel abeunt, vel ſtant, ſedentue, ſeruulos ſuos ſibi aſtātes ſubinde habent; & ciſtulas argenteas, condendis *Bettele* foliis, & additamentis cæteris aſſeruandis neceſſarias portantes. Hi poſcentibus Dominis folium calce illitum, contortumque aſſiduè miniſtrant. Quod ſi forte Regulus aduenas quoſdam legatos auditurus ſit: tum, ſi quidem ipſe perorantium linguæ callentiſſimus ſit, nihilominus tamen pro regiæ maieſtatis reſpectu tuendo Legatum in præſentia ſua ad interpretem ordinarium verba facere iubet: qui Regi poſtulata Legati dein repetit, & eidem decretum ſeu reſponſum regium manifeſtat. Intereà verò temporis Regulus aut lecto recubat, aut in terræ inſtrata tegete deſidet, ſuo vbique ciſtellifero ſtipatus, à quo *Bettele* acceptum ruminat. Saliuam verò, & quod à maſticatione foliorum reliquum fit, in peluim quādam argenteam, huic vſui paratam, & aut à coniuge, aut mancipio fœmina alia apporrectam, expuit. De *Bettele* ſuis ſi quid Regulus Legatis guſtādum præbeat, id ſingulari gratiæ & honori habent. Et vt concludam, *Bettele* rerum omnium agendarum ſocia ſunt. De quibus, cum mihi paſſim crebra mentio in meis libris facta ſit, de hac incolarum conſuetudine aliquantò prolixius commemorare volui, vt lectori in nullo dubium eſſet.

Ciſtelliferi Magnatum. *Mos Regulorum in audiendis Legatis.* *Regia gratiæ ſymbolum.*

Sed & Magnates Reguliqúe Indici pilulis quibuſdā, ex *Arecca*, Kaate, Camphora & tuſa aloë cum modico ambaro cōcinnatis vtuntur, quibus mixtis cum *Bettele* & calce loco *Areccæ* veſcuntur. *Bettele ſuccedaneum.*

ANNOTATIO D. PALVD.

BETTELE folia quidam cum Lycio permiſcet: nonnulli, opulentiores comprimis, cum camphora. Alij cum Aloë, Mace & Ambaro griſeo. Hoc modo permixta, & ſaporis commodi ſunt, & halitus fœtorem apprime emendant. Nonnulli Areccas cum Cardamomis aut Garyophyllis mandunt. In interiore regione ab Oceano longius emota Bettele folia magno pretio venduntur: adeò, vt ex cenſu illorum ad Regem Decan, Nicamoxa vocatum, quotannis plures 30000. Milleroſis redeant. His ſua conuiuia onerant ornantque: his peregrinaturos donant. Quibus fauent, aut qui opulentiores ſunt, his

Varij miſcendorum Bettele modi. *Reditus ex Bettele annui.*

Signum fauoris regij. *Reges ſua manu Bettele promunt porriguntque. Cæteris id per ſeruos & miniſtros fieri iubet. Regio nomine ſi quis peregre iturus ſit, huic parui loculi ex ſerico ſarti, Bettele paratorum pleni offeruntur. Ante hos acceptos diſcedere non licitum eſt. Ea enim veniæ datæ ſymbolo ſunt. Hucuſque D. Palud.*

Cap. XVII.

DE DVTROA HERBA, ET PLANTA alia, Herba ſentida dicta.

Dutroæ facies. DVTROA herba in omni India notiſſima, paſſim in campeſtribus prouenit. Huius folia cuſpidem haſtæ præfingunt, quoquo verſum in ambitu inciſa ſpecie ſeu modo vrſinę brãcæ, quam & magnitudine æmulatur. Iuxta longitudinem multa filamẽta ſeu fibras habet, alias ferè inſipida, niſi quod modicum de amaro aſciuit: in cætero humida, & raphani odorem reddens. *Flos.* Flos eodem cum Roriſmarini flore colore eſt, cui decidenti folliculus, papauerino ſimilis ſuccedit, qui intus nucleis quibuſdam, Melonum ſemen referentibus, prægnans eſt. *Semen. Seminis mirifica vis & facultas inſolentiſſima.* Hi aut ex aqua, aut vino, aut quouis alio liquore hauſti, aut cum oryza cocti eſitatique, aut quouis alio cum cibo ingeſti, hominis mentem ita percellunt & alterant, vt fatuo ſimilis perpetuum rideat, & nihil eorum quæ aut ſunt, aut præſenter fiunt geruntur que, agnoſcat diſcernatue. Quoſdam etiam in tam profundum ſomnum agũt, vt mortuis nihil diſtent: quem ad horam perſæpè 24. protrahunt, niſi frigida illis pedes fricentur lauenturque. Hoc enim pacto ante ſtatum id tempus expergiſcuntur.

Indicarum fœminarum in paranda Dutrea improbitas. Herbæ huius vſus Indicis & Luſitanicis fœminis frequens eſt, ad dementandos & conſopiendos maritos ſuos, quoties infami libidine pruriũt, & cum adulteris ſuis inceſtuoſo concubitu ſe permiſcere ſatagunt. Vbi primulum etenim per dolum de herba iſta viro ſuo mulier appropinauit, tum illicò etiam ad conſpectum & latus eius abſq; omni vel pudore vel metu adultero in omnibus ſtudet, eouſque temeritatis progreſſa, vt iacentis viri quoque barbam vellere, eumq; expreſſa voce currucam aut cornutum proclamare, & ſcurrilia his ſimilia alia addere, confidentiſſimè audeat. Et licet maritus apertis oculis incoram hæc omnia videat, nihil quicquam tamen eius aut intelligit aut reprehendit, ſed perpetuo arriſu quatitur, & geſticulamenta motionum omnia æmulatur. Tum quoque quando expergefactus ad ſe rediit, actorum ne in minimo recordatur, ſed ſe dormiiſſe vnicè credit atteſtaturque.

Eandem herbam ſclaui quoque & mancipia ſuis nonnunquam dominis admiſcent, vt illis ita ſopitis, ciſtas & arcas commodius expilare queant. Sed cum Dutroa quodammodo venenum ſit, ad miſcendam eam cura & moderatione opus eſt. Nimia ſiquidem copia indita, vita exuit haurientes, niſi paratis Antidotis vis eius malitioſa illicò infringatur.

ANNOTAT. D. PALVDANI.

Dutroæ hauſtæ Antipharmaca. *CONTRA Dutroæ hauſtum illa remediorum genera conferentiſſima ſunt, quæ vomitum cient. Quo quicquid in ventriculo continetur, promptè euacuetur.*

A quo

A quo & potiones purgatoriæ, & clyſteres conducunt: nec minus frictiones & ligaturæ manuum pedumque, nonnunquam etiam venæ in pedis pollice ſectio proſunt. Hæc D. Palud.

HERBA modò dicta vbiuis magna copia prouenit. Quam etſi nec decerpere, nec hominibus propinare per edictum publicum vlli liceat: nemo tamen frequentius eâ appota decipitur, quam ipſi illi, qui interdicta iſtiuſmodi condunt, primores nempe & locorum magnates. Quos fœminæ eorum multoties hoc modò infatuant, vt liberius ſcortari, adulterari, & omnifario libidinis exercitio ſatiari queant. Indicis etenim fœminis hoc nihil vulgatius eſt: nec vllam facilè reperias ab hoc flagitio immunem. Pleræq; etenim mulieres crebrò vſu ſuos viros ſibi ita aſſuefecerunt, vt vel ad ſucci hauſtulum minimum porrectum delirent, & libidini ipſarum terendæ agitandæque ſpatium liberum parent.

Indicarum fœminarum in vniuerſum proſtitutiſſima libido.

Huiuſce generis herbas quoque alias India parturit, quarum virium fœminæ indigenæ callentiſſimæ ſunt: quarum omne hoc ſtudium, meditatio vel molimen eſt, vt cum diurna, tum nocturna Venere quouis modo laſſentur: ad cuius voluptatem augendam acuendamque, omnia comminiſcuntur idonea, omnia media quæritant, nullum temporis articulum negligentes, nullam occaſionem manu mittentes, quæ illorum fœdis illecebris, & immani prurigini ſaturandæ ſeruire queat. Conſilia quandoque etiam extrema, & dolos planè diabolicos ad rem hanc conficiendam ineunt: ſicut ex quotidianis exemplis iſthæc illis, qui ibi degunt, notiora ſunt, quam vt porrò certius confirmanda veniant.

Prætereà alia quoque herba Indiæ nota eſt, quam Luſitani *Sentida*, id eſt, ſenſificam hac de cauſa nuncupant, quod ad acceſſum hominum, aut contactum, aut quemcunuis pulueris obuij inſperſum illicò flacceſcat, & ſe claudat conſtringatque, nec ſe pandat prius, quam inde iterum diſceſſum ſit. Quo facto confeſtim & quaſi nouiter vireſcit, & dilatatur ampliter. Aditum abitumque quotieſcunque inſtituas, idem conſtanti ingenio facit: vt & ſpectaculum illud intuentibus iucundiſſimum ſit, & naturæ myſtis iurè profundiſſimè trutinandum.

Herba ſentidæ natura verè miraculoſa. Similis arboris quoque Scal. meminit, quam Æſchynomenen nominat. Ex. 181, ex. 28.

Loci huius ratio alterius quoque miraculi commemorationem mihi extorquet. Quod ſi quidem anteà non expertis præter fidem eſſe videbitur, adeò tamen veritas huius rata & certa eſt, vt in dubium non niſi à temerariis oblocutoribus vocari queat. In *Goa* Inſula, apud huius nominis Ciuitatem iuxta murorum terminos locus quidam ſelectus aut diſcretus eſt, quo pecudes omni genę vt boues, vaccæ, oues & ſimiles mactari ſolitant. Hic incolis *Mata Vaquas* appellatur: in quo abiecta paſſim iacent animalium cęſorum cornua, ceu inutilia quoquo verſum diſperſa. Præterquam enim, quod illorum nullus apud Indos vſus ſciatur: hac præcipue quoque de cauſa longius abiiciuntur, quod Indis haud exigua contumelia fiat, ſi aut de cornibus quid dicatur, aut vnum ipſis oſtendatur, ædibuſue obiiciatur. Ex eo enim tanta ſubinde ira exæſtuant, vt iniuriam factam non niſi cæde patrata luendam reantur. Quin imò publici quoque magiſtratus pœna conſtituta ſubiacet, qui alteri contumeliæ loco aut cornu prætentat, aut eius qualemcunque mentionem factitat: cum iſta exprobratione currucam ſeu Cornutum innuant, cuius permiſſu conſenſuque mulier alienæ libidini pateſcat. Hæc itaque cornua (vt ad rem pergamus) ſi loco illo aliquandiu iacuerunt, radices deorſum in terram defigunt, medulla eius in plurima quaſi filamenta diſſecta & protuberante, ſeque hoc medio in ſolum ſubditum immittente.

Aliud mirabile.

Indorum contumelia, cornu oſtenſum.

Cornu plantabile.

Radix eius braſſicæ ſimilis fit: ſicut plures his meis manibus tales euulſi, duas, treſue ſpithamas elongatas. Id quod ſimiliter fieri nullo vſpiam terrarum angulo alias compertum eſt. Huius cauſæ examen multos ſummos naturæ myſtas miſerè torſit. Et licet multi omni tempore fuerunt, qui rem hanc ad ſtuporem vſque admirati fuerint: qui tamen cauſam veram & immotam ſcrutaretur & aſſequeretur, nemo, quod ſciam, vſpiam comparuit. Nam, & terra in omni illo confini valdè ſaxoſa & lapidoſa eſt. Hinc amici ſcommatis loco Goanis perſæpè *India cornifera.* exprobratur, quod omnium maximi *Cornudos* ſeu Cornuportæ ſint, quia, cum in cæteris locis omnibus cornua ad radicem vſque extirpari & detruncari queant; apud eos nullo pacto id fieri poſſit. Nam etſi illic ſemel quidem reſecentur, abiecta tamen adeò fœcundè illicò repullulare & augeſcere, vt ea per omnem ætatem ipſis patienter ferenda ſint.

Et hæc de Indicis arboribus, fructibus, herbiſq; abundè ſufficienter ita dicta ſint: etſi ſexcentæ aliæ adhuc reſtent, quæ tum faciei varietate, tum operationis aut virtutum præſtantia noſtratibus quam longiſſimè præſtent. Quarum tamen genuina nomina, cum mihi non conſtent omnia, de dubiis commentari iniquum ratus, harum ſaltem mihi notiſſimarum naturam, vires, formamque pro mei ingenij modulo tradere volui.

Cap. XVIII.

DE SPECIEBVS SEV MATERIAlibus Indiæ communiſſimis, quæ quidem officinas aut rem medicamentariam ſpectent, & commercijs quotidianis diſtrahantur, qualia nempe, qua facie, & quo loco ſingula naſcantur. Primò autem de pipere.

Piperis varia genera. PIPERIS varia ſunt genera: Nigrum, album, longum & quartum *Canaryn* dictum. Nigrum vulgatiſſimum eſt, quod vt ad nos, ſic ad omnes tranſuehitur. Album quoq; ad nos exportatur, ſed copia tamen minore. *Canarynum* ex India nunquã auehitur, cum pretij ſit viliſſimi. *Nigri piperis quæ regio feraciſſima.* Nigri prouentus maximus iuxta littora Malabar eſt: quæ 12. milliarium ſpatio à Goæ meridionali parte ordientia, vſque ad *Cabo* de *Comoryn* excurrunt. Terra, piperis ferax, oceano confinis eſt, intra hunc & continentem *Balagatte* incluſa. In penitioribus eius receſſibus nullum prouenit. Hoc loco vniuerſum piper colligitur, quodcunque in Luſitaniam conuehitur: vnde porrò ceu ex penu ditiſſimo in omnem Chriſtianum orbem diſtribuitur. Ex eadem regione Mahumetiſtæ quoque infinita piperis onera nauibus inferunt, quas hinc ad mare rubrum porrò agitant. Sed & è *Ballagattæ* territorio in Perſiam, Arabiam, & adiunctas alias terras plurimas auehitur, etſi id Luſitanorum ſerio mandato interdictum ſit, qui huic rei obſeruandæ ſingulares quoque cuſtodes præſtituerunt. Nigrum quoque copioſè fert *Malacca*, vt & Inſulæ *Sumatra*, *Iaua*, *Sunda*, & alia loca plurima: ſicut in prægreſſa deſcriptione, *Pipe aanqlm.* littorum, marium, inſularumque ſpecialius recenſui. In locis his album quoque piper naſcitur, nigro per omnia ferè ſimile, niſi quod cortex eius exterior candidus, læuis & non rugoſus viſitur: cum quo etiam eiuſdem facultatis & ſaporis eſt. Qua cauſa permixta ſæpius ex *Malacca* auehũtur. Quod piper in *Malaccæ* locis finitimis

timis prouenit,id & ipſum,ſed rarius,in Luſitaniam abducitur.Nam vix integro biennio nauis ibi pipere in Portugalliam vehendo oneratur, cum plerunque Garyophyllis, Mace, & mercibus Chynicis aliis ponderentur. Maxima autem inquilini piperis portio ibidem vel in incolarum vſus quotidianos abſumitur, aut negotiationibus ſolitis, in *Pegu*, *Syon*, *Chynam* & loca adiacentia diſtrahitur. Piper Malabaris *Molonga*: in Malaccæ finibus *Lada*: in Arabia *Filfil*: *à Guſarattis*, *Cambaiis*, vt & Decanynis iuxta *Balagatte*, *Meriche*: in *Bengala* *Moroys* appellatur. *Quæ paſſim piperis nomina.* Longum verò piper, in ſola *Bengala & Iaua* proueniens *pepileni* nuncupatur. Piperis frutex plerunque alterius arboris trunco inſeritur, maximè verò illi, in quo Arecca prouenit. Huius ramos quaſi amplexum piper, altius conſurgens creſcit, & fructificat. *Piperis inſerendi ratio.* Folia piperis aurantiorum ſunt, ſed minora, viridantia, & in apice mordicantia, quæ guſtata linguam vellicant, æquè ac *Bettele*. Racematim vuarum modo prouenit piper, minore tamen & exiliore vua, myrtillis tamen contruſiora. *Qualis eius prouentus.* Grana perpetuo virore conſpicua ſunt, dum ſiccari & maturari incipientia, ſenſim nigreſcant. Hoc menſe fit Decembri & Ianuario.

Piper longum & in *Bengala & Iaua* naſcitur, arboris facie longè alia exiſtente. *Piper longum.* Piper ipſum acus longitudinem habet, ſed craſſitiem maiorem, & per totum æqualem. Facie extima totum ſcabrum & rugoſum, cum colore cinereo ſpectatur: interiore ſubſtantia albicantiore, fibris exilibus connexa. Sed tamen cum nigro & vſu communi, & ſapore æquali conuenit, etſi nigri vſus crebrior ſit, albi verò prouentus rarior.

Piper *Canarynum* in confinio *Goæ* & Malabar proditur, forma ocymi ferè emergens, ſed cæruleum & intus cauum, in cuius ſpatio granula quædam naſcuntur, quæ maſticata, tum acrimonia tum reliquis viribus piperi conueniunt. *Piper Canarynum.* Sed hoc ſolius pauperculæ plebis vſibus cedit. Quare quoque *Canarynum*, id eſt, ruſticanum plebeiumue piper vocari conſolet. Hoc genus propter vilitatem ad exteros non effertur, cum impenſas vectionis non remuneret. Reliquum verò piper in Orientali omni illo tractu magnis molibus, & diſtrahitur, & in cibis cōdiendis abſumitur. Nullum enim ferculum parant, cui non piperis integri aliquot manipulos indant, & illud affatim ingerant.

In littoris Malabar deſcriptione illorum locorum memini, quibus piper felicius proueniat, & maiori numero ab exteris ematur. Portus quoque illos, in quibus naues ſuas Luſitani onerant, peculiariter aſſignaui. Vt hic illi labori iurè ſuperſedere debeā. Piper, cū viride eſt, ab indigenis etiā ſale & aceto in vrceis cōdiri ſolet. *Piper conditum.* Hoc pacto paratū diu aſſeruatur, & in Luſitaniam importatur: etſi eius pars maxima Indorum vſibus retineatur. Hoc piper in *Achar* nuncupatur. Simili modo ſpecies quoque & fructus alios in India condiunt, quos pro appetitu concitando, non ſecus ac nos cappares, Oliuas, Limones, &c. eſitant.

ANNOT. D. PALVD.

PIPERIS vſus & in culinis & pharmacopolijs frequens eſt. His pro medicina, illis pro cibo facit. Ventriculum excalfacit, & crudam tenacemque in eo pituitam abſumit. In dolore ventriculi à cauſa frigida aut flatibus craßis orto, iuuant percommodè grana piperis quinque manè deglutita. Quorum viſus imbecillior eſt, hi grana piperis cum aniſo, fœniculo *Piperis facultates.*

culo & Garyophyllis ſæpius maſticent deuorentque. His enim pelliculæ illæ, quæ oculorum aciem præſtringunt, abſumuntur.

Compoſitio Diatrion pipereon.

De tribus piperibus in officinis tale medicamentum componitur, quod recipit piperis albi, nigri, longi, vtriuslibet drachmas 25. Thymi, Zinziberis, Aniſi, cuiuslibet drachmas quatuor. Cum mellis ſufficiente quantitate miſcentur omnia, & fit electuarium. Hoc ijs vtile eſt, quibus ventriculus perfrigeratus eſt. Hucuſque D. Palud.

Cap. XIX.

DE CINNAMOMO.

Cinnamomi Nomina.

CINNAMOMVM ab Arabibus *Quirſa*: à Perſis *Darchina*: in Seylō, vbi copioſiſſimè prouenit, *Curdo*: in Malacca *Cayſman*; in Malabar *Camea* appellatur. Huius arbor magnitudine oleę eſt, foliis tamen minoribus & anguſtioribus, laurinis ferè ſimilibus.

Flos. Fructus. Cortex.

Flos huius candidus eſt. Fructus magnitudine nigram Luſitanicam oliuam, ex qua oleum multis vſibus commodum exprimitur, adæquat. Arbor binis corticibus contegitur, exteriore, qui crudior eſt, & interiore qui verum cinnamonū eſt. Hic partibus quadrilateris conſcinditur, & in aëra ſiccandus exponitur.

Renaſcentia.

Viridis, adhuc cinereo colore eſt. Siccefcens tamen ſeipſum conuoluit, & eo colore, quem ad nos fert, tingitur. Hic color à ſolis vberiore feruore originem trahit. Semel cortice viduata arbor, poſt triennium recēti iterum induitur, cum priore planè ſimili.

Integræ ſyluæ Cinnamifera.

Non plantatæ ſponte ſua in ſyluis magna copia naſcuntur, adeò, vt frequentia & denſitate ſua ſolæ aliquando ſyluas conſtituant.

Aqua ex radicibus cinnamomi.

Radices arboris huius aquam, Camphoræ odorem reddentem, fundunt: quam tamen, ne arborum iactura ſit, extrahere lege vetitum eſt. A ſolis calore nondum reſiccatum cinnamomum, cineritio colore eſt. Ab eodem verò æſtuantiore nimis exuſtum nigricat. Lentè autem & ſenſim moderatéque calefactum, rubeum eſt.

Ex cinnamomo ipſo.

Ex cinnamomo adhuc ſemiuiridi pretioſæ multæ aquæ extillantur, quarum vſus in India optatiſſimus. Harum nonnihil quandoque in Luſitaniam quoque deuehitur.

Illarum vis & qualitas.

Liquor iſte & odoratu & potatu valdè gratus & ſuauis, iuxtà tamen quaſi igneus & penetrantiſſimus eſt: medicina contra colicam & alios ex frigiditate contractos morbos præſentiſſima & efficaciſſima. Animæ fœtorem etiam & oris graueolentiam eradicat. Ex huius arboris floribus itidem aqua quædam elicitur, priore tamen multò ignauior & infirmior.

Cinn. vbi optimum naſcatur.

In *Seylon* cinnamomi optimi prouentus omnium feliciſſimus eſt, vbi harum arborum integræ ſyluæ viſuntur. Ad littora quinimò Malabar etiam eius multum enaſcitur: ſed quod ex dimidio cum priore conferri nequeat. Huius loci arbores Seylenſibus minores ſunt: corticem tamen multo rudiorem craſſioremque, & viribus paucioribus donatum pariunt. Nam in *Seylon* Cinnamomum & tenuiſſimum, & optimum, & Malabarico tertia pretij parte melius enaſcitur.

Cinnam ſylueſtre.

Cinnamomum Malabaricum *Canella de Mato*, ſeu Sylueſtre Cinnamomum vocitatur: qualis in Luſitaniam quicquam importari edicto cautum eſt. Clam tamen eius onera multa ſub Seylenſis titulo imponuntur: quæ poſteâ vectigal cum optimo idem pendere coguntur. Quod ſi certa boni Cinnamomi

Seylen-

Seylenſis quantitas 50. vel 60. pardauis venditur: tum eadem ſylueſtris quantitas decem vel duodecim, tantum pardauis cenſetur: & nihilominus tamen promiſcue vtraque pro Seylenſi Cinnamomo in India inſcribuntur. Vlyſbonæ itaq; tam pro boni quam mali Cinnamomi quintali vno, 15. vel. 16. Milleroſę appendendæ nullo effugio ſunt: ſicut & aromata cætera vniuerſa inibi pro temporis ratione vectigalia ſunt. Nauibus enim in India ne ſclauum quidem inferre licet, qui albo ſeu regiſtro prius non deſignatus ſit. Quod ſi quicquam vſpiam Vlyſbonæ in viſitata naui reperiatur, regiſtro non deſcriptum, id regio viſco cedit illicò nulla exceptione vniuerſum. *Pœna, bonorum furtim nauibus impoſitorum.*

Cinnamomi etiam nonnihil in Inſulis Iaua & Malacca creſcit, ſed minore copia & bonitate multò leuiore, quam in Seylon. Arbores, quæ ſuccendendis in India rogis cæduntur, odorem interdum Cinnamomi effumant.

ANNOTAT. D. PALVD.

CINNAMI facultas calorifica eſt, qua penetrat reficitque omnia interanea. Et cum aſtrictionis nonnihil habeat, ventriculum roborando, cibi coctionem haud inſtrenuè iuuat. Magno etiam commodo contra venena omnia, cor infeſtantia, offertur. Vterum obſtructum reſerat, menſeſq; cunctantes ciet. Idem fiſtulis etiam, capitiſque fluxionibus in partes ſubiectas actis prodeſt. Hydropi quin etiam auxiliatur, & obſtructis renibus. Cinnamomi tum aqua tum oleum viſcera principalia omnia apprimè confortant, qualia ſunt, Caput, cor, hepar, renes, &c. Hucuſque D. Palud. *Natura & facultates Cinnamomi.* *Vis aquæ & olei eius.*

Cap. XX.

DE ZINZIBERE.

ZINZIBERIS cremento omnis paſſim India celebris eſt. Quod tamen optimũ, quã longiſſimè diuehitur, ex littore & terra Malabar eſt. Arundinis aut cannæ Belgicæ ritu trium ſpithamarũ altitudine emergit, cuius radix verum zinziber eſt. Hæc viridis plerunque ab Indis ex acetariis comeditur. Conditur etiam aceto, & tunc *Achar* nominatur: ſicut idem etiam cum pipere & fructibus aliis Indicis inſtitui ſuprà recenſuimus. Menſe ferè Decembri & Ianuario è terra euellitur radix. Hanc ita ſiccant. Euulſarum certam molem argilla figulina deſuper integunt, & tumulum exquiſitè contra omnem aëris & ventorum vim oblinunt. Sic & recentiores radices ſeruantur, & à vermium eroſione promptius aſſeruntur. In India haud magni æſtimantur. Magno tamen numero in Ormum, Arabiam & Perſiam auehuntur. In Luſitaniam parcius inferuntur, quod vectionis longinquæ pretium venditæ non penſitent. Solis tamen tormentorum in nauibus magiſtris quintalia aliquot imponere licitum eſt, quæ ſine vectigali ex conſtitutione antiqua etiam hodiè rata, in Luſitaniam traiiciunt. Ibi dein zinziber ſuo arbitratu mercatoribus vendere ſolent: quod, vno hoc & non alio modo ex India efferri ſueuit. Alias tamen zinziberis quamplurimum in Hiſpaniam *Locus zinziberis natiuus.* *Zinzib qualis planta.* *Achar quid?* *Siccandi zinziberis modus.* *Zinziber, vt ad nos & qua via efferatur.*

ex Cabo Verde, ex Inſula S. Thomas, Braſilia, Inſula S. Domingo, & India Hiſpanica, raro tamen ex India Luſitanica propter ingentes ſumtus, ad nos effertur. Ex India tamen Luſitanica ſeu Orientali aduectum cætero bonitate longè præſtantius eſt, ſicut & aromata alia Orientalia, nec minus metalla, gemmæque illinc allatæ, cæteras omnes, tum pulchritudine, tum efficacia & præſtantia longiſſimè exuperant: quod longo rerum vſu iam ſatis ſuperque confirmatum omnibus eſt.

Zinzib. quod optimum.

Canon generalis.

Ex Zinz. electuarium.

In *Bengala* Electuaria ex zinzibere & ſaccharo condiunt. Optimum tamen Chyna promit, eſuque ſuauiſſimum. Id in India ad vſus quotidianos partim abſumitur, partim negotiationibus dicatum in Luſitaniam, & hinc porrò ad nos deuehitur.

ANNOTAT. D. PALVDANI.

Zinzib. appellationes.

ZINZIBER ab Arabibus, Perſis & Turcis Gengibil: in Guſaratte, Decan & Bengala Adrac, ſi viride, ſucte autem ſi ſiccum eſt: in Malabar Ingi: in Malacca Aliaa nominatur. Gladioli more prouenit, duarum trium ve palmarum altitudine, radice Liliorum æmula & nodoſa, non tamen, ſicut Antonius Muſa commentatus eſt, quoquo verſum reptante. Viridis propter exuperantem humiditatem non vſque adeò acris eſt, maximè illa, quæ in Bacaim ſuccreſcit. Radices hæc adhuc virides, cum alijs herbis minutim conciſæ ex oleo, ſale & aceto acetarij loco ſunt. Cum piſcibus quoque & carne decoquuntur. Zinziber in omnibus Indiæ locis conſeritur excoliturque. Quod enim ſua ſponte prouenit, æquè bonum haud eſt. Optimum & copioſiſſimum ex Malaya conuehitur, & magno numero ab Arabibus & Perſis emitur. Huic proximum id eſt, quod Bengala profert. Tertio loco eſt ex Babul & Bacaim aduectum. In incultioribus locis & regionum penetralibus eius pauciſſimum reperitur. Aliquid tamen & in S. Laurentij Inſula & Comaro naſcitur.

Ant. Muſæ hallucinatio.

Vbi zinzib. optimum.

Zinzib. quæ facultates.

De viribus & facultate eius hoc ſciendum eſt, quod leuiter aluum ſubducat, & facultatem corporis coctricem validè roboret. Sunt tamen nonnulli, qui Zinziber aluum ſtipare contendunt: hoc argumento perſuaſi, quod dum ciborum coctionem adiuuat, alui lubricitatem, quæ ab humoribus vberioribus prouenit, reſiccet quodammodo, & ſic excretionem tardiorem reddat. Idem frigidum ventriculum calefacit, & cataractas

ctas ſeu ſuffuſiones oculorum abſumit, medicinis alijs præſtantiſsimis quoque miſceri commodum. Hæc D. Palud.

Cap. XXI.

DE GARYOPHYLLIS.

A Tvrcis, Perſis, Arabibus, & pleriſque Indis Garyophylli *Calafur* nuncupantur. In Inſulis verò Maluco, in quibus ſolis naſcuntur, *Chamke* vocantur. Inſularum harum numero quinque ſunt, ſub æquinoctiali linea ſitæ, vt in deſcriptione ſuperiore annotatum eſt. Illæ præter Garyophyllos nihil proferunt: qui hinc in omnem mundum diſtrahuntur. Quæ hos ferunt arbores, lauris ſimiles ſunt: quarum flos primò albicat, dein vireſcit, tandem rubeſcit & quodammodo induratur: ex quo dein Garyophylli naſcuntur. Flos ſi viret, odorem omnium longè quam ſuauiſſimum ſpirare ſolet. *Garyophylli nomina.* *Locus natiuus.* *Arboris forma.* *Flos.*

Garyophylli ex vno pediculo numeroſi proueniunt: qui primò carpti pòſt reſiccantur. Rectè ſiccati, ſubflaueſcunt. Qui vt nigriores euadunt infumantur. Qui in arboribus relinquuntur, nec decutiuntur: hi ad ſequentem vſque annum durant, quos poſteà autophyllos nuncupant. Quo loco arbores ſtant, ibi nec gramen nec quicquam aliud vireſcens enaſcitur: cum ſuccum terræ vniuerſum ad ſe rapiant. Quod Luſitani *Baſton* vocant, id nihil aliud quam pediculus eſt, ex quo Garyophyllus arbore ſuffigitur: quæ iunctim ita auelluntur & colliguntur. Nam in Maluco Garyophyllos à reliquis detrimentis non ſeparant, ſed id primum Indiani præſtant: adeò, vt plerunque cum puluere, matrice, pediculis, & adnatis omnibus primò vendantur. Qui tamen hinc porrò in Luſitaniam mittendi purgantur & interſeperantur. *Garyophylli vt creſcant.* *Garyoph. ſitis.*

Eouſq; feruentis & igneæ naturæ ſunt Garyophylli, vt ſi ab Indis in cõclaui quodam, in quo vas quoddam aqua vel quocunque alio humore plenum, longius tamen remotum exiſtat, à ſordibus expurgentur, id vniuerſum vno biduo calore ſuo exhauriant exiccentque: ſicut hoc multoties factum meo teſtimonio comprobari poteſt. *Natura & qualitas.*

Eiuſdem quoque naturæ ſericum ex *Chyna* nondum netum eſt. Nam ſi in domus parte quadam ſuper tabulas, duos pluresue pedes ſupra terram eleuatas, diſpergatur, & pauimentum inferius omne aqua perfundatur: tum manè aqua hæc vniuerſa à ſerico imbibita ſentietur. Id quod Indi ad pondus ſerico addendum, frequentiſſimè moliuntur: cum à facie externa fucus iſte factus non reluceat. *Cum ſerico conuenientia.*

Sed ad rem. Arbores Garyophylliferæ interuallo haud longo iuxta oceanum ſponte proueniunt, non ſati, non culti. Nec educandis illis quicquam operæ incolis obtruditur, niſi quo carpendi tempore ſunt. Tunc enim ſubdita terra verrenda & purganda eſt. Nec proximè ad mare, nec ab eo remotiſſimè arbores enaſcuntur, cum Inſulæ omnes mari vndiquaque ſuccinctæ ſint. Si anni quædam ſit fertilitas, Garyophyllorum plus quam foliorum eſt. Maturi, non manibus carpuntur, ſed funibus ramis circundatis, violenter auelluntur. Vnde arbores ferè in tantum læduntur, vt poſteriore anno minus fertiles ſint. *Garyoph. carpendorum ratio.*

Ex Garyophyllis ſub arbore relictis noui ſurculi emergunt, non ſecus ac apud nos Caſtaneæ arbores. Illi ex pluuiis cõtinuis incremento felici ſuccreſcunt, & tam promtè grandeſcunt, vt octauo illicò anno fructum ferant, & vltra annos *Vnde plantentur.*

centum viuant vigeantque. Decutiendarum illarum tempus à menſe Septembri ad Ianuarium extenditur.

Ex Garyophyllis medicina. Ex recentibus Garyophyllis optimum cum ſaccharo electuarium ibidem conficitur. Sed & aceto macerati, in Malaccam & Indiam importantur. Ex viridibus iiſdem aquam quoque deſtillando eliciunt, quæ inſigniter cordialis, & miſcendis medicinis pluribus optatiſſima eſt. Ad halitus ſuauitatẽ conciliandam Garyophylli à fœminis Indicis ſtudioſè manduntur: quarũ exemplum nunc æmulantur quoque Luſitanæ. Folia arboris lauri ſunt.

ANNOT. D. PALVD.

GARYOPHYLLOS arbor fert, Lauro & facie & magnitudine ſimilis, niſi quod folijs minoribus, & amygdalorum ſeu ſalicum æmulis ſit. Valde ea ramoſa & floribus turgentiſſima viſitur, qui tandem in fructum abeunt, nobis Garyophyllum vocatum. Horum vſus & in cibis & medicamentis. Iauani Garyophyllos grandiores, anni decurſu in arbore relictos, præferunt. Quibus nos tamen minores anteponimus. Virides in Maluco tum aceto, tum ſaccharo condiuntur: quo pacto præparati eſu ſuauiſſimi fiunt.

Facultates Garyophyllorum. *Ex viridibus deſtillata aqua odoris nobiliſſimi eſt: quæ cor inſigniter roborat. Lue Indica infectis ſudor ex Garyophyllis, nuce muſcata, Mace & pipere longo nigroque propinatis cietur. Nonnulli Garyophyllorum puluerem capiti inſpergũt, ad eius perfrigerium & dolorem mitigandum. Iidem robur hepati addunt, cor & ventriculum reficiunt, coctionem iuuant, ſerum è corpore exigunt, alui fluxum cohibent, viſum exacuunt. Quatuor drachmarum pondere è lacte poti, ludicrum venereum ſtimulant. Hucuſque D. Palud.*

Cap. XXII.

DE MASSA, FOELIE, SEV Mace & nuce Muſcata.

Arboris facies. QVÆ fructum hunc parturit arbos, pyri ſeu perſici facie eſt, foliis tamen anguſtioribus & rotundioribus. In Inſula Banda non procul à Maluco, vt & in Iaua & Sunda potiſſimum *Prouentus.* naſcitur. Ex his collectus fructus in Chynam, Malaccam, porrò in Indiam & loca alia tranſuehitur. Fructus magni *Nux.* rotundi perſici quantitate eſt, cuius intimum Nux eſt. Hanc proximè circumcirca cortex duriuſculus ambit, Maſſa dictus, cui tandem totus fructus obeſt, foris perſici faciem ſortitus, & guſtatu admodũ ſuauis, nec minus odoratu iucũdus, modò maturuerit.

Totus

Totus hic fructus, ſeu pomum dicere malis, cum ſaccharo conditus per omnem Indiam diſtrahitur. Eſt enim id electuarium omnium ſuauiſſimum, quod in vniuerſa India conficitur: cuius nonnihil interdum in Luſitaniam quoque, & hinc porro ad nos effertur. Condiuntur quoque ſaccharo, & pariter in Indiam diuenduntur. Nux interior ſi matureſcere occipit, adeò intumeſcit & grandeſcit, vt cortex exterior neceſſario rumpatur: ex quo macis dein iucundiſſimo & amœniſſimo coccini colore relucet, ſpectaculo ſanè, ſi arbor fructibus apprimè pregnans eſt, admodum delectabili. Nonnunquam Fœlie ſeu maſſam incolæ dirumpunt. Qua cauſa poſteà fructus floris expers prouenit plerunque. Quæ nuces florem habent, ſiccentes illum amittunt: cuius tandem rubeus color in aurantij ſimilem abit, ſicut ex eo mace videre eſt, ad nos qui importatur.

Nuces muſcatæ conditæ.

In quibus Inſulis proueniunt, hæ aërem valdè inſalubrem habent: adeò, vt qui negotiationis cauſa illò commeant, multa morborum pericula plerunq; adeant: quorum pars quoque non minima ibi commoritur. Nihilominus tamen auri ſacra fames exteris ad hæc omnia tentanda animum ſubdit intrepidum. A Bandæ Inſulæ incolis nux *Palla*: Maſſa vero ſeu Macis *Buna Palla* vocatur. In Dacan & India fructus, *Iapatry*: flos *Iayfol* nuncupatur.

Appellatio.

ANNOTAT. D. PALVD.

MVSCATIFERA arbor pyro non abſimilis eſt, humilior tamen & minoribus rotundioribuſq; folijs conſpicua, quæ morbis capitis, matricis & neruorum conferunt.

Nux muſcata omnis triplici integumento veſtitur: quorum extimum, viridi glandium cortici ſimile eſt. Hoc maturum finditur & rumpitur. Sub quo alter cortex conſpicitur, nobis Macis dictus, tum culinis tum pharmacopolijs notiſſimus. Tertium inuolucrum durius & lignoſius eſt extimo, nigricans. Quo confracto, tandem nux ipſa prodit. Totus fructus ſi ex maturitate ruptus hiat, tum macis ex illo reſplendet colore rubello quam iucundiſſimo. Qui & ipſe flos tamen deinde maturior factus, colorem aureum induit. Nucum muſcatarum duo ſunt genera: vnum oblongum, maſculum: Alterum rotundum, fœmineum, priore melius & nobilius. Nuces eſitatæ cerebrum reficiunt, memoriam firmant, ventriculum fouent roborantque, flatus carminant & diſcutiunt, animam commendant, ſerum educunt, aluum obſtipant. In genere frigidis omnibus affectibus, tum capitis & cerebri, tum ventriculi, hepatis, matriciſque ſuccurrunt. Flores autem eius ſingulariter refrigerato ventriculo conducunt, cuius coctionem ob id & digeſtionem promouent,

Quot inuolucra nucis ſint.

Spectaculum amœnum.

Duo genera nucum.

Vires nucum & florum.

inteſtinorum lentorem abſumunt, flatuſque diſſipant. Hucuſque D. Palud.

Cap. XXIII.

DE CARDAMOMO.

Cardamomi conditio.

CARDAMOMVM ex aromatum genere eſt, Indorum culinis admodum familiare. Hoc aſſiduè Indi ore mandunt teruntque, ad halitus grauitatem emendandam, & capitis humores abſorbendos. Medicinis id etiam aliis commiſcetur. Frumenti modo prouenit, ocymi plantam ferè æmulatum: album tamen eſt, & ex hoc colore nonnihil flaueſcit. Folliculos 10. vel 12. granulis prægnantes fert, quę cardamomos nominant.

Genera & nomina.

Cardamomi duo genera ſunt: maius & minus. A Malabaris *Etremillij*: à Guſarattis, Decanynis & Bengalis *Hil.* à Mauritanis accolis *Helachij* nominantur. Ex hoc aromate ingentia commertia inſtituuntur, quæ paſſim in omnibus Indię locis gliſcunt. Prouenit illud potiſſimum in Calecut & Cananor, & cæteris Malabar locis littoralibus, vt & in Iaua Inſula: ex quibus locis paſſim collectum, quoquouerſum diſtrahitur. Eius tamen haud multum in Luſitaniam deuehitur, propter tum viæ longinquitatem, tum ſumptuum immenſitatem. Eius paruæ moles interdum à peregrinantibus euehuntur. Carnem Indi nullam elixant, Cardamomis non conditam: quam & odoris & ſaporis ſumma ſuauitate, non minus quam cæterorum aromatum quoduis nobiliſſimum imbuunt.

Solum natiuum.

Vſus.

ANNOT. D. PALVD.

CARDAMOMI ab Auicenna duo genera ſtatuuntur: Primum Saccolaa guebir, id eſt, maius cardamomum: alterum Saccolaa ceguer, id eſt, minus vocitat. In Malabar aroma hoc Etremelli: in Seylon, Emabi: in Bengala, Guſaratte & Decan nonnunquam Hilli, nonnunquam Elachi, ſed à ſolis Mauritanis appellatur. Nam gens Indica vniuerſa Dore nomen ipſi indit. Cardamomum Græcis veteribus, Galeno, Dioſcoridi & ſimilibus non cognitum fuit. Et licet quidem Galenus 7. de ſimpl. libro ſcribat, Cardamomum non æque ac naſturtium calidum eſſe, etſi guſtu odoratuue ſuauius ſit, & amaritudine tenui imbutum: vniuerſæ tamen ab illo poſitæ notæ cum Indico Cardamomo ne in minimo conueniunt. Dioſcorides lib. 1. ca. 5. id cardamomum cæteris præfert, quod ex Comagena, Armenia & Boſphoro affertur. Quibus etſi addat, illud in India & Arabia quoque enaſci: illud tamen eligendum ſuadet, quod plenum, & fractu tenacius, guſtatu acre & amarum

Card. an Galeno & Dioſcoridi cognitum fuerit.

rum

rum ſit, caputque odore impleat. Quæ ſi expendantur ſingula, deprahēdetur ſane, nec Cardamomū Indicum in ea, quæ nominauit, loca transferri, nec ex illis auferri, nec in frāgendo tenax & flexile eſſe, nec caput ferire, nec ſaporis amari & acris eſſe.

Maius cardamomum oblonga triquetra pellicula obducitur, in cuius cauo ex rubro pallentia grana inueniuntur. Simili inuolucro minus quoque veſtitur: ſed id breuius eſt, & grana continet minora, per medium pellicula tenui interſepta. Huius ipſius tria alia peculiaria genera ſunt: Medium, minus, minimum. *Cardamomi minoris tria genera.*

Omne in genere Cardamomum ventriculum calfacit, capitiſque dolorem ex refrigeratione lenit. Cum Bettele folijs quoque ad caput & ventriculum muco eluendum manducatur. Hucuſque D. Palud.

Cap. XXIV.

DE CERA HISPANICA *Lacca dicta.*

CERAM Hiſpanicam Malabari, Bengali, & Decanyni, *Aſſy:* Mauritani *Lac*: indigenæ *Pegu*, vbi locorum copioſius fit, & negotiationibus crebris permutatur, *Treck* nominant. Hac qui commercia ſua agitant in Sumatra inſula, quam Taprobanam veteres dixerunt, illam pipere permutant. Ex quo loco frequenter per mare rubrum in Perſiam & Arabiam traiicitur. Vnde eam Arabes quoque Perſæque & Turcæ *Loc Sumatri*, id eſt Lac ex Sumatra appellāt, quod ex inſula illa in dicta loca importari ſoleat. Lacca autem hoc modo fit. In Pegu & locis aliis, vnde affertur, magna frequentia formicarum alatarum eſt. Hæ per arbores quaſdam prunis ſimiles, & gummi perpetuò extillantes reptant errantque. Id gummi dicta animalcula ſugunt: ſuctum deinde ramis & arboribus circumcirca apponunt, non ſecus ac apes mel & ceram condunt. Agglutinatum illud Lacca ſeu cera Hiſpanica eſt. Hoc illarum opificio arboribus turgeſcentibus, domini ramos detruncant, & eoſdem ad ſiccandum alicubi deponunt. Ariditate tandem exhauſtis & tabefactis ramis, iiſdemque extractis, *Lacca* arundinis aut cannæ modo remanet. Accidit interdum, vt in medio ductu ligni quædam fragmina reſtitent. Sed quo Lacca minus ligni cohærentis habet, eo melior eſt. Huius quæ portiunculæ in terram decidunt, liquantur, & in vnam maſſam coguntur. Quæ tamen bonitate priori non reſpondet: cùm ſemper terræ quaſdam reliquias aſſeruet. Sub cruda Lacca nonnūquam alæ formicarum reperiuntur. Lacca cruda, & vt recens ex arboribus auulſa eſt, ſubrubri coloris eſt: quæ tamen proba mixtura deinde omnifariis coloribus tingitur.

Nomina ceræ varia. *Lacca vt conficiat.* *Lacca quæ optima.* *Lacca color natiuus.*

ANNOT.

ANNOTATIO D. PALVD.

Laccae maſſam in puluerem redigunt, quem ſubdito igne liquant. Liquefactæ pigmenta varia, vt rubrum, nigrum, luteum ſeu croceum & viride inſpergunt. Liquefactam & hoc modo mixtam Laccam in bacillos eos fingunt, quales apud nos veneunt, obſignandis literis idonea. Hucuſque D. Paludan.

Ex Lacca artificia.

Lacca dicta ſpondas quoque hoc modo oblinunt. Ligna, ceu opus eſt, dolando fingunt, aptantque. Hæc dein manibus intentata cuiuſcunque coloris Lacca ſurſum, deorſum, prorſum, vorſum fricant, teruntque. Qua verſatione cum ligna incaluêre, Laccam leuiter contactu ſuo liquant funduntque, quæ deinde illis viſcoſitate ſua facile adnata hæret. Hoc pacto ligna vnguis craſſitie illinutur. Antequam verò Lacca penitus frigeſcat & induretur, faſciculo ſtramineo aut ſcopis aridis in hoc paratis ſic eam læuigant poliuntque, vt ſpeculi læuore nitcat. Semel illita hoc pacto, tam diu manet & durat agglutinata, quamdiu ligni ſubſtantia cohæret. Hoc ipſo modo alia quoque lignea inſtrumenta, vt ſellas, ſcamna, ſuppedanea, &c. fingunt læuigantque: vt ſupellectilem hoc pacto vndique pulcherrimè reſplendentem accurent. Operæ hoc artificio confictæ, ex Chyna omnium ſubtiliſſimæ & læuigatiſſimæ afferuntur: vt illarum inſpectio maximam admirationem ſimul & delectationem contuentibus attentius infligat. Eadem Lacca operas quoque aurarias & argentarias explent ornantque, vt cultellorum manubria, & his ſimilia. Annulos etiam aureos eadem arte tam affabrè fingunt, vt ex ſolido auro confecti videantur, qui tamen intus Lacca pleni ſunt.

Lacca quoque in *Ballagatte* & Malabar, ſed minore copia, reperitur. Nam quicquid in Indiam aut loca alia affertur, id omne ferè ex regno Pegu auehitur.

Cap. XXV.

DE ANNIL, SIVE INDIGO.

Annil quid, & qua facie.

Annil ſiue *Indigo*, in Guſaratte *Gali*, alias *Nil* vocitata, color ſeu pigmentum pretioſiſſimum eſt, quod magnis ſumptibus in Luſitaniam conquiritur. In regno Indiæ *Cambaia* naſcitur. Herba rorismarini ferè facie eſt: quæ, vt aliæ, ſuo

Vt paretur.

tempore ſeritur, plantatur, euellitur, ſiccatur. Siccata denuo madefit, tunditur, & artificio peculiari præparatur, iterumque ſiccatur. Primò viridem, deinde cyaneum colorem aſciſcit: quo apud nos viſitur. Huius creſcentis quo terra ſeu fundus pulchrior, eò color quoque ſplendentior & nobilior. Bonitatem huius

Vt probetur.

exploraturi, admota candela eam vrunt. Quod ſi ergo deflagrans in farinam abit, optima eſt. Sin ſubſtantiam relinquit arenoſam, nihili eſt.

Annil in magno apud Indos & Luſitanos pretio eſt, ita vt valore in multis locis Garyophyllos excedat. Ante paucos elapſos annos eius commertium Indicis mercatoribus Hiſpaniarum rex abdicauit: & ſibi ſoli, non ſecus ac piperis mercaturam præſeruauit.

ANNOT.

ANNOTAT. D. PALVD.

ANNIL, ſeu Nil, atteſtante clariſsimo viro D. Camerario, qui plantam hanc ſuo in viridario educauit, folia Cyanea fert, eius herbæ folijs ſimilia, quæ Latinè Barba Iouis, Germanicè verò Donnerreben dicitur. Nonnihil tamen latiora ſunt. Hæc D. Palud. *Ambra quid?*

Cap. XXVI.

DE AMBARO, MOSCHO, ALgallia ſiue Cyuet.

AMBARVM nonnulli dicunt Balænæ ſeu ceti ſemen eſſe: alij eius excrementum id arbitrantur. Quidam bitumen ex maris fontibus eructatum putant. Ex primis tamen enumeratis id nullum eſſe, ideò credi poteſt: quia ſi eſſet, quotidiè eius plurimum iuxta vada & littora *Byſcaiæ* in Hiſpania colligeretur, vbi cetorum quotidiè ingens multitudo & viſitur & capitur. Ibidem tamen ambra nulla colligitur. veriſimilius itaque fuerit, id genus quoddam bituminis eſſe, quod ex imis fluctuantis oceani ſcaturiginibus eructatū, ſuperficiei aquæ obnatet: hoc argumento, quod certis ſaltē & definitis quibuſdam locis reperiatur. Quo vero loco copioſius emergit, littus Sofala, Mozambiq;, & Melinde ſiue Abex dicitur. Eius nonnunquam aliquid etiam apud inſulas *Maldiuar, & Cabo* de *Comoryn* inuenitur, ſed non ea copia, qua ad *Sofalam & Mozambiquen.* Alij Ambram fungoſam quādam terram crediderunt, ex Inſulis quibuſdam depreſſis, aut latentibus ſcopulis violento maris agitatu abraſam & excuſſam, quæ propter leuitatem aut raritatem pumicis ritu ſupernatet. Huius enim in quibuſdam locis fragmenta corripiuntur, decem, duodecim, nōnunquam 50. vel 60. ſpithamarum molem habentia. Narrant, à quibusdam tempore quodam huius Ambræ integras Inſulas repertas fuiſſe. Quas cum diſcedentes certis ſignis notaſſent: plus ablatum reuerſos, Inſulas pòſt nunquam redinueniſſe. Anno 1555. Ambræ huius ad *Cabo* de *Comoryn* moles, 50. quintalia apponderans inuenta fuit: quam repertor cum primò picem crediſſet, paulò pòſt veram ambram cognouit. Quod huius opinionis fidem firmat, hoc quoque accedit, quod Ambra multoties intercipiatur, detrimentis & maritimarum auium, ſuper illam nidificantium, ſordibus plena & conferta.

Ambra quid? *Vbi reperiatur.* *Alia opinio de ea.* *Hiſtoria & exempla.*

Ambræ genus quoddam eſt colore griſeo, multis fibris interfuſum. Hoc optimum eſt, & *Ambar Grys*, id eſt, Ambarum griſeum dicitur. Præter hoc genus aliud nigrum ſeu piceum eſt, priore ignobilius & inodoratius. Ambram exploraturi, aciculam ei infigunt. Quæ ad vulnuſculum id plus olei ſudat, optima cenſetur. Hæc apud Indos in frequenti vſu eſt. Reguli & magnates eam cibis ſuis commiſcent: vt ad conflictum maritalem fortius armentur. Ex eadem cum moſcho, Beniuin, Cyuet & odoramentis aliis compoſita, pulcherrima vel poma vel pyra conficiunt aureis vel argenteis fabriculis incluſa, quæ manibus geſtata odoratu hauriunt. Cultellos quoque & manubria pugionum excauata eo magmate infarciunt, vt nullibi ſuauitate odoramenti careant. Sed hæc ditioribus ſaltem ſolemnia ſunt, ſiue illi Indi, ſiue Luſitani celebrentur.

Ambra genera. *Cenſura ſeu exploratio.* *Vſus.*

ANNOT. D. PALVD.

AMBARVM, ſeu Arabica lingua Ambar, genus quoddam bituminis eſt (vt verè de hoc ſentit autor) quod ex ſcatebris quibuſdam profundioris maris eructatum, à ſole illico cogitur & concreſcit, non ſecus ac alia è mari exudantia: ceu ſunt ſuccinum, corallium, & ſimilia. Propter ſuauitatem odoris ſingularem Ambra caput, & cor reficit, fouetque. Siccitate verò ſuperfluos vētriculi humores abſumit, immunditiem & ſordes omnes eluit, & ijs comprimis, qui chronicis morbis affliguntur, prodeſt. Pota ſuffocationi vteri medetur, nec minus infernè ſuffita. In ſumma ſenibus & frigidis omnibus hominibus morbiſque auxiliatur. Hucuſque D. Palud.

Ambræ facultates.

Moſchus quid?

ALMISCAR, muſcus ſeu moſchus ex Chyna affertur, extractus ex animalibus, vulpeculas aut canes minores æmulantibus. Animal illud fuſtibus probè comminutum & contuſum occidunt. Occiſum ſinunt, dum cruor, carnes & omnia interiora putruerint. Putrefactum in fruſtilla ita conſecant, vt cum cute caro & ſanies cohæreant. Horum ſingula ſingulis ſacculis, probe ſartis, indunt venduntque, quolibet ſeorſim vnciam plerunque vnam appendente. Hos Luſitani *Papos* vocant. Optimi verò *Papos*, ſeu moſchus puriſſimus, nihil aliud quam huiuſdem animalis teſticuli ſunt. Reliquum, ſiquidem cū illo æquali cenſu veneat, non tamen æque pretioſum eſt. Qua cauſa Chynenſes, qui ad omnem impoſturam callidi ſunt, ſacculos omnes teſticulorum forma orbiculares ſarciunt, vt hac fraude emptores allectent ſecuriores.

Quis exquiſitiſſimus.

Animalis, ex quo moſchus, mira prudetia.

Huius animalculi mira natura eſt. A venatoribus agitatum, cum ſe euadere non poſſe præſentit, teſticulos ſibi ipſi mordicus detruncat & abiicit: innuens hoc facto, hos eſſe cuius cauſa captetur. Quibus attollendis dum venator occupatur, beſtiola intereà fuga ſe proripit, & vitam hac induſtria tuetur.

Moſchi quæ adulteratio.

Chynenſes, vt diximus, in vendendo moſcho valdè impoſtorij ſunt. Illum enim perſæpè iecore bouino aut vaccino adulterant, quæ prius torrent, & cum moſcho tundūt. Hanc fraudem, qui emptum diligentius examinant moſchum, facilè ſentiunt.

Moſchi exoleti corrigendi quæ ratio.

Moſchi vis ſi periit aut exoleuit, ita reparatur. Ex ſacculis exemptus moſchus, in pila ſubtiliſſimè teritur, & tandem pueri ſani lotio modicè perfunditur. Ita ſubactus in vas plumbeum, exquiſitiſſimè obturatum inditur. Aliquandiu maceratus & q. fermentatus, odorem priſtinum recuperat pleniſſimè, modò fragrantiæ minimum reliquum habuerit.

ANNOTAT. D. PALVD.

Scal. de moſcho longe alia narrat. Ex. 21.

Moſchi vires.

MOSCHVM alij haud proletarij autores cenſent certo quodam anni tempore ad vmbilicum animalculi cuiuſdam vomicæ ſimilitudine enaſci. Leuiter flaueſcens optimus eſt, palpitationi cordis, & eius cæteris affecti-

bus

bus frigidis vniuerſis apprimè vtilis medicina, bibita aut quocunque modo vorata. Maculas oculorum albas terget, catarrhos frigidos ſiccat, caput roborat, eiuſq; dolorem diuturnum mitigat. Hucuſque D. Palud.

ALGALLIA ſeu Cyuet, aut Zibethum, copioſum in India, præcipuè autem in *Bengala* habetur. In quo tamen adulterando cum nihil fraudis aut nequitiæ omittant: fit, vt in pretio ſit non admodum magno. Ipſum oleo, arenaceo polline, & ſordibus aliis inquināt, vt ponderoſius euadat. Optimum *Cyuet* ex *Myna* & littore *Guynea* affertur, quod odoratiſſimum & pretioſiſſimum eſt. Nihil autem eſt aliud, quam ſudor cati cuiuſdam *Algallia* ſeu *Cyuet* dicti; quorum aliqui in Hiſpaniam quoque, & has noſtras regiones viui inferuntur. Qui cum hoc ſeculo iam notiſſimus ſit, ideò hiſtoriam eius decurtantes, ad deſcriptionem aromatum, herbarum, materialiúmq; Indicorum cæterorum deſcendemus. *Cyuet vnde, & quid?*

ANNOTAT. D. PALVD.

CYVETTE in extremis folliculis animalis cuiuſdam naſcitur, quod Cyuet ſeu catus Zibeticus nominatur. Eſt verò ſudor, circa teſticulos huius animalis emanans, & ex abundanti calore humoreque eius expreſſus: ſicut vere autor recenſet. Zibethum vmbilico fœminæ illitum, ſuffocationem matricis tollit, & venereæ rei deſiderium ciet. Hucuſque. D. Palud. *Cyueti vires.*

Cap. XXVII.

DE BENIVINO.

BENIVINI ſubſtantia cum thure ſeu myrrha ferè eadem eſt, pluris tamen æſtimatur, cum medicinas multas ſalutares corpori humano miniſtret.

ANNOTAT. D. PALVD.

BENIVINVM odoris ſui gratia, cor, caput & cerebrum confortat, & huius ſuperfluos humores exorbet, ſuffumigatum memoriam auget, & ex morbo deficientibus commode ſeruit. Hucuſque Palud. *Vires Beniuini.*

AD pilas ſeu poma ex Ambra moſchoque concinnanda, ſemper acceſſorij Beniuini neceſſitas eſt, modò compoſitio proba futura ſit. Hoc copioſè in regno *Seylon*, in Inſula Sumatra, in Inſulis Iaua maiore & minore, vt & iuxta Malaccam prouenit.

Arbor ea ramoſa eſt, foliis arboris Limoniorum, trunco procero ſe attollens, ex quo gummi hoc ſudat Beniuinum dictum. Iuuenculæ arbores Beniuinum *Arbor Beniuini qualis.*

Genera beniuini. num optimum fundunt, quod colore ſubnigrum eſt, odoris gratiſſimi, *Beniuinum de Boninas*, q. de floribus, idque propter ſingularem fragrantiam ſic dictum.

Aliud genus *Beniuinum amendoado*, id eſt, de amygdalis nuncupatur. Hoc candidum cum nigro confuſum, amygdalum per medium fiſſum præfert. Hoc cum priore eiuſdem bonitatis non eſt, cum ex annoſiore arbore profluxerit: quale nigro nec odore nec reliquis dotibus conferri poteſt. Commiſceri tamen inuicem ſolent, vt vna commodius vendantur. Beniuini hæc duo genera optima ſunt, & per negotiationes quoquo verſum in Arabiã, Perſiam, Ballagatten, Chynam, Luſitaniamque diſtribuuntur.

Aruum natale vbi. Beniuini pars maxima in regione *Seylon* & apud Malaccam profluit. In Sumatra verò & Iaua quod reperitur, vilius & rudius eſt. Indigenæ, apud quos Beniuinum naſcitur, illud *Commingion* vocant. Mauritani verò & Arabes *Louaniauy*, quod eſt, thus ex Iaua. Decanyni & *Ballagattæ, Vdo.* Arbores plerunque inciſis crenis ſuſtentantur, vt lachryma expeditius extillare queat. Multis oneribus in India venditur. Nam ex ſpeciebus ſeu aromatis Indicis nobiliſſimis haud poſtremum eſt, cum odoris fragrantia thura omnia poſt ſe quàm longiſſimè relinquat.

Cap. XXIIX.

DE THVRE ET MYRRHA.

Thus vbi, & quod optimum. THVS in Arabia naſcens *Louan* dicitur: ab Auicenna *Conder.* Gummi ſeu reſina eſt, eodem cum Beniuino modo ex arbore tranſudans. Optimum ex iis arboribus auellitur, quæ in montoſis, prætaltis & ſaxoſis collibus conſiſtunt. Nam quæ in locis decliuioribus & campeſtribus ſunt, thus ignauius fundunt. Hoc in Arabia tanta abundantia colligitur, vt eo picis loco naues linant. Hinc in Indiam, Chinam, & loca alia ingenti multitudine auehitur, & ibi pretio viliſſimo vẽditur.

ANNOTAT. D. PALVD.

Thuris duo genera. *THVRIS duo ſunt genera, Album ſeu rotundum granoſumque, quod ſelectiſſimum cenſetur, & maſculum putatur. Nigrum, quod ad ſola ſuffumigia facit. In India, vt & apud noſtrates thure aduerſus alui profluxum, capitiſque dolores vtuntur. Vtiliter propinatur hæmoptoicis, & caua vlcera ſolidat, vulneraque recentia glutinat. Hæc D. Palud.*

Myrrha vnde. MYRRHA, Indica lingua *Bola* dicta, eodem quo Beniuinum modo prouenit. Affertur autem ex Arabia felici, præcipuè tamen ex regione *Abex*, intra rubrum Oceanum & Mozambiquen ſita, quæ *Presbyteri* Ioannis terra quoq; appellatur. Hinc in Indiam, & porrò in alia loca prouehitur.

ANNOT.

ANNOT. D. PALVD.

MYRRHA ad partum & ſecundinas exigendas vſurpatur. Inueterata quoque tuſſi, vt & alui profluuio vel dyſenteriæ commodat. Hæc D. Palud. Myrrhæ vtilitas.

Cap. XXIX.

DE MANNA ET RHABARBARA.

MANNA ex Arabia & Perſia affertur: potiſſimum tamen ex *Vsbeke* regione, poſt Perſiam in Tartaria ſita. Hinc quæ Manna aduehitur, in vitris, fragmentorum modo, condita eſt, obductis ſaccharo amygdalis ſimilis, candida, ſapore ſacchareo, melleque dulciore. Perſæ hanc *Xercaſt* ſiue *Xerkeſt*, id eſt arborum lac aut lac arboreum nominãt. Hoc nihil aliud eſt, quam ros in arborum folia illapſus, & ibidem obhærens, concreſcenſue. Ex illis in vitra inditur, & ſic ad nationes exteras effertur. Hac Indi omnes ſuas purgationes donant. *Vnde Manna afferatur.* *Nomina eius.* *Quid ſit?* *Genera.*

Mannæ tamen genus quoque aliud eſt, *Tiriam Iabyn* ſeu *Trumgibyn* dictum, quod ex floribus aliis quoque & foliis legitur. Hoc fragmentis minutis, magnitudinem ſeminis Cannabini æquantibus, aut nonnihil excedentibus affertur, colorem roſeum ſeu rubrum oſtendens. Quibuſdam perſuaſum eſt, hanc Mannam è caudicibus arborũ gummi more emanare. Huius in Ormo & Perſia vſus ad omnes potiones purgatorias faciendas frequens eſt: non itidem in India.

Præter dicta tertium reſtat, cuius fragmenta cum foliis ſuis adhuc cohærentia aduehuntur, Mannæ Calabrinæ ſimilia. Hæc per *Baſſoram* ex Perſia in Indiam Ormumque traiicitur, prioribus omnibus carior. Manna quoque alia in ſacculis coriaceis, qualibus Turcæ peregrinantes vtuntur, promitur, quæ mellis inſtar liquida eſt, & vt Mãnæ ceteræ albicat. Hæc & ipſa purgationib⁹ cõmodo eſt.

ANNOT. D. PALVD.

MANNA leniter è corpore bilem ducit, aſperitatem faucium, pectoris & ſtomachi mulcet, ſitimque arcet. Quia verò vis ei purgatoria ignauior ineſt, ideò ſerpyllo & Hyſſopo addito, fortioribus euacuantibus permiſcetur, vt ſic propter dulcedinem, qua naturæ maximè familiaris ſit, exquiſitius & valentius aluum deiiciat. Huc vſque D. Palud. *Mannæ dotes.*

CVM in claſſem medicamentorum purgatoriorum pedem immiſerimus ſemel: arbitrati ſumus, Rhabarbari radicis mentionem ſiccè non tranſiliendam eſſe. De hac quidem, qua ratione & forma proueniat, vix paucis notum eſt. Hoc tamen certum eſt, nullibi illam præterquã in Chinæ penetralibus ſuccreſcere. Ideóque magna ex parte terreſtri itinere per regionem *Vsbeke* (quam paulò ante in Tartaria ſitam, & ex vno latere Chinæ conterminam poſt Indiam in Perſiam vſque extendi diximus) im- *Rhabarbarum vbi creſcat.*

portatur. Ex hac inquam regione in Ormũ, & porrò in Indiam prouehitur. Sed & nauibus eadem in Indiam traiicitur: quæ tamen non æquè bona manet, ſed multò citius putreſcit ſituque corrumpitur, quam ſi terreſtri itinere illata fuiſſet. Talis enim & durabilior eſt, & pretio maiore æſtimatur, citiuſque venditur. Ex Chyna per *Vsbeken* in Turciam, hinc Venetias defertur: vnde poſtremò nobis communicatur. Vnde id quoque Rhabarbarum, quod Venetiis, eò terreſtri itinere allatum emitur, Luſitanico per mare vecto, multò præſtantius eſt.

Cap. XXX.

DE SANDALO LIGNO.

Sandali genera. *Vbi ſingula naſcantur.*

SANDALVM genere triplex notum eſt: Album, flauum, rubeum. Album & Citrinum, quæ duo optima ſunt, ex Inſula Timor, Iauis finitima, potiſſimum accerſuntur, quæ huius ligni totas ſyluas parturit. Hinc itaque illa in omnem Indiam & loca cætera vniuerſa inſtitutis commerciis diripiuntur. Sandalum rubeum magna ex parte ad littora Choramandel *Tanaſſaryn* in regno Pegu naſcitur. Arbores iuglandium magnitudine ſunt, fructum ceraſorum æmulum primum quidem viridem, deinde nigrum, inſipidumque ferentes. Hic, cùm præmaturè decidat, nihili æſtimatur. Lignum tamen non item: quod à locorum illorum incolis *Candanacon*: à Decanynis, Guſarattis & Canarynis *Sercandaa*: ab Arabibus Perſiſque, *Sandal*, vnde à Luſitanis quoque *Sandalo* vocatur. *Nomina.*

Sandalum album & Citrinum vſibus quàm plurimis deſeruit tam Indis, quam Mauritanis, Iudæis & Gentilibus. Nam illud in exquiſitiſſimum læuorem ſeu puluerem ſubtiliſſimum tundunt teruntque: ex quo dein pultem pinſunt, quam toti corpori inunctam reſiccari ſinunt. Hoc enim modo præterquam quod corpori ſuaue refrigerium præſtat, aëris quoque odorem temperat, quem fragrantem Indi lubenter trahunt. *Vſus.*

ANNOT. D. PALVD.

SANDALO albo citrinoque cùm ſtillatitia roſarum aqua nos quoq; contra dolorem capitis ex colore illitu vtimur. Vniuerſa etiã tria genera, cõtuſa & pota febres ardentes attemperant, ſtomachumque flagrantem refrigerant. Ex his & aqua roſarum epithemata foris quoque febres vrentes mitigant. Quin imò præterquam quod partes roborent, cor quoq; exhilarant, quo fine magno & euidenti commodo medicamentis cardiacis commiſcentur, vt eſt præ cæteris morbus eius frequens, palpitatio dicta. Hucuſque D. Palud.

RVBRVM in India rarò vſurpatur. Febribus tamen intenſioribus exiſtentibus, eo, carpo bracchiiſque illito vtuntur. Similiter & capite dolore pulſante lancinanteq;. Magna tamen copia ad exteros diſtrahitur, cum propter dotem medicam, quam inſignem habet, vſibus plurimis

plurimis commodiſſimum ſit. Ex hoc Indi ſui pagodæ ſimulachrum fingunt, vt eo honoratior ſit.

Cap. XXXI.

DE PALO DEL CEBRA, ID EST, Ligno Serpentino ſeu colubrino.

LIGNVM hoc in Seylon maximè naſcitur. Arbuſcula eſt humilis, cuius radix, lignum ſerpentinum eſt. Hoc coloris albi eſt, ad flauedinem nonnihil deficientis, prędurum denſumque, guſtu amarum: cuius vſus apud Indos multiplex. Vt ſantalum, ſic hoc mola ſeu marmore tundunt, teruntque: & cum aqua ſeu vino propinant. Vncia huius trita & cum aqua mixta, probatiſſimum febribus ardentiſſimis remedium fit. Idem contra venenorum hauſtum, grauioreſque alios morbos, vt colicam, lumbricos & perfrictum corporis vtiliter bibitur. Ante omnia verò morſui ſerpentum antidotus præſentiſſima eſt: vnde nomen quoque lignum ſortitum eſt. Huius vires vſumque omnium primo beſtiola quædam *Quil* ſiue *Quirpele* vocata, quæ aſpectu primo viuerræ, cuius opera Cuniculi è ſuis latebris exiguntur, ſimilis eſt, condocuit. Huic congenitum & irreconciliabile odium cum ſerpentibus eſt, adeò vt conſpectos primum illicò adoriatur, & cum iiſdem acriter depugnet. A ſerpentibus ergò admorſa, è veſtigio lignum hoc ſectatur, quod magna in Seylon copia prouenit: vbi & ſerpentum pariter, & horum animalculorum mira frequentia eſt. Quod ſi quidem beſtiola grauiſſimè vulnerata ſit: ad primum tamen huius ligni guſtum illico tam ſana & expedita fit, quaſi nulla vnquam plaga percuſſa languerit. Huius itaque euentus obſeruatione indigenæ de facultate ligni admoniti, experimentum eius poſteà vberius factitarunt: quod ideò dictis caſibus morbiſque omnibus ſtrenuè aduerſari, confirmatè deprehenderunt. Hac de cauſa nunc apud omnes in pretio eſt, & commerciis quoquouerſum ad exteros exportari cępit: adeò vt eius copia non in India aut Luſitania ſolum ſed & apud nos hodiè parabilis ſit.

Quid ſit?

Vires eius.

Quil beſtiola huius ligni repertrix.

ANNOTATIO D. PALVD.

GARCIAS ab Horto huius ligni tria genera deſcribit, quę lege. Eius duo apud me ſunt: vnum, cuius autor hic meminit, radix nimirum arboris cuiuſdam, alba & amariuſcula, cum cortice cineritio. Alterũ è Seuilia ad me miſſum à Domino Simone de Tonor excellẽtiſſimo habeo, quod craſſitudinẽ bracchij habet, cortice nonnihil variegato & q. interpicto ſerpentis inſtar, intus candidum & itidem amarum. Huc vſque D. Palud.

Ligni ſerp. genera tria.

Cap.

Cap. XXXII.

DE LIGNO CALAMBA, ALIAS ligno Aloes dicto.

Arboris facies.

LIGNVM Aloës, in India Calamba & Palo d' Aguilla vocatum, in Malacca præcipuè naſcitur, in Inſulis Sumatra, Cambaia, Seylon, & locis aliis finitimis. Arbor oliuæ facie eſt, nonnihil maior. Recens detruncatæ lignum, propter abundantem viriditatem ſeu humiditatem non tam ſuauem odorem ſpirat, ac aridum præſtat. Quo enim ſiccior illa, eo fragrantior. Ligni pars interior tamen & ipſa, cætera ſubſtantia odoratior exiſtit: & perpetuò vnum alio fragrantius reperitur. Quod Indi diſcernere facilè poſſunt. Nam quod grauius eſt, & fibras nigras aut ſubpurpureas oſtendit, multoque oleo ſeu humiditate perfluit, hoc optimum eſt. Tandem, quò id maius & craſſius eſt, hoc maioris virtutis & efficaciæ creditur.

Ligni æſtimatio. Igni inuectum.

Genera agallochi.

Ex hoc ligno res variæ conficiuntur. Quod propter ſingularem odoris gratiam tanti perſæpè, præcipue Calamba dictum, æſtimatur, vt cum auro argentoue deponderetur. Palo d'Aguilla locum à Calamba ſecundum tenet. Eſt tamen & aliud Palo d' Aguilla, quod Aguilla Braua ſeu ſylueſtre Aguilla dicitur. Hoc Indi ad Bramanes ſeu magnates ſuos defunctos exurendos vtuntur. Cum enim inęſtimabilis q. pretij ſit, pro ſingulari honore ducunt, eo illos cremari: non ſecus ac ſi noſtrum quis tumulo marmoreo conderetur. Hoc tamen dignitate & pretio cum altero Palo d' Aguilla ſeu Calamba conferri minimè poteſt.

Indorum mos.

Aguilla ſylueſtre in Seylon Inſula iuxta littus Choromandel potiſſimum enaſcitur. Optimum verò Palo d' Aguilla ſeu Calamba in regione Malacca prouenit. Ex nobili hoc ligno in India globuli precarij & cruces plurimæ magno pretio vendi ſolitæ fiunt, ſicut iure merito ab omnibus magni fieri debet, cum & reliquis omnibus aliis lignis pretioſius & nobilius ſit, & eiuſdem dignitatis nullum toto orbe, præter quàm loco dicto reperiatur.

ANNOTAT. D. PALVDANI.

Nomina ligni.

LIGNVM Aloës, Agallochum, Xylo, ſeu lignum paradyſi, Arabica lingua Agalugen & Haud, ab incolis Guſaratte & Decan, vd: in Malacca, Garro, &, quod optimum eſt, Calamba dicitur. Huius ligni equidem varia genera habeo, quæ omnia iucundi odoris ſunt, & maculis quibuſdam conſperſa, oleoſa iuxta & pinguia, denſa, grauia. Sumptum id animæ fœtorem emendat, & ventriculum frigidum humidumque, cibi ingeſti incontinentem roborat firmatque. Iis etiam apprime vtile eſt, qui hepatis imbecillitate, aut dyſenteria, aut pleureſi, ſimilibuſque accidentibus laborant. Hucuſque D. Palud.

Vires.

Cap

Cap. XXXIII.

DE RADICE CHINÆ.

CHINÆ radix Indiæ primum innotuit An. nati Chriſti 1535. Ante id etenim tempus nulli ibi cognita fuerat: cum luem illam Veneream (quæ Indiæ q. propria erat) ſolo *Guaiacan* ligno, quod ex India Hiſpanica eò inferebatur, & appenſo æquali auro appondetabatur, curarēt & expugnarent. Chinę verò radicem, Chinenſibus, lui dictæ valdè obnoxiis, deus ſingulari quadam benignitate, ceu dotem contra fœdum illud contagium ſingularem monſtraſſe & porrexiſſe videtur. Hanc etiam ſolam, poſtquam virtus eius probata innotuit, contra malum endemium obtentant, præſidiis cæteris omnibus poſthabitis. Ad illud enim expugnandum, citra exceptionem omnium promptiſſima & valentiſſima reperta eſt. Vnde fit, vt hodiè luem ſerpentem non formident admodum. Cum præſidio iſthoc, quouis alio morbo citius & tutius illam excindi peruideant. Qua vice terna quaternaue affligi, adeò quoq; non probroſum arbitrantur, vt tolerantiam hanc fortitudinis inſuper laude coronent. Hodiè verò Chinæ radix tanta abundantia illuc importatur, vt pretio veneat viliſſimo, & integra libra, dimidio ad ſummum pardauo (monetæ noſtræ 9. bazij ſunt) redimi commodè queat.

Chinæ radix, quando innotuerit Indis.

Ante Chinæ radicem luis remedium Guaiacan.

Inſolentia Indorum.

Hac ægri contra luem hoc ferè modo vtuntur. Lima radicem in ſcobem redigunt. Huius vnciam vnam in menſuris aquæ quatuor ad medietatis conſumptionem decoquunt. De reſiduo bibunt, nec potus quicquam aliud ſuperaddunt. Vt potus recens ſit, ſemel indies coctio repetitur. Biſcoctum iuxtà cōedunt, & pullos aſſos adipe omni exutos, non ſalitos, non butyro perfuſos, non in iuſculo natantes, ſed ſiccos, vt toſti ſunt. Hos inquam cum biſcocto eſitant. Ea ſumma prandij. Cœnæ apparatus ſunt, pugilli aliquot paſſularum, mica panis toſti, ſi lubet, mellis portiuncula peruncti. Præterea quid addere, religio ſit. Intereà omni annitendum ſtudio, bis vt quotidie ſudor cieatur corpore appobè obtecto. Tempus ſudoris ſingulis vicibus hora eſt vna vel ſeſquialtera. Hęc Diæta ad dies 10. ſtudioſè continuanda. Sed & vitandus omnis aër & ventus nauiter eſt, & aures caputque vittis iniectis ſedulo operienda, vt probe caleant. Domo non egrediendum. Vxorum commercium detrectandum, quod aiunt, peius angue & cane.

Chinæ præparatio & vſus.

His præceptis ſedulò obſeruatis, magnam ſine dubio ſecuramque alleuiationem æger (fauente Deo) breui perſentiſcet.

An verò quid in corpore humano contra contagium radix pota moliatur, operetur que, hoc indubitato & verè pathognomonico ſigno pernoſcendum eſt. Dolor articulos omnes, maximè imbecilliores, peruadet acrior & auctior. Hoc attento, ſciendum eſt, & ſignum id eſſe auſpicatum, & radicis vim ſacram iam manifeſto omnium partium latentem hoſtem acrius venari, adeoque conflictum cum illo q. ordiri: Dolor autem hic à diebus primis ad 15. vel 20. nōnunquam 25. augebitur intendeturque, prius eius emanſuri nulla ſpe præconcepta. Hoc ergo qui remedio vtuntur, non ſaltem ſtatu iſto non offendantur, ſed in tuto rem breui fore, penitus confidant. Elapſis etenim 25. diebus, dolor illico non minuetur modo, verum etiam tanta breui interuallo dierum quinque reſiduorum alleuiatione mitigabitur, vt die 30. inſtante corpus vegetum, alacre,

Signum curæ ſuccedentis.

promptum expeditumque futurum ſit, non ſecus ac nulli vnquam morbo obnoxium extitiſſet.

Etſi vero Chinæ radicis decoctum cibi appetentiã certiſſimam excitaturum ſit: prudenter tamen omnique ſtudio cauendum eſt, vt parum ſaltem, non ad ſatietatem edatur, nec ſupra deſignata diæta in minimo violetur. Ab ordine enim præſcripto ſi quis vel diem vnum vel horulam modò deſciſcat, prægreſſam curam nõ ſaltem fruſtrà impenderit; verum eadem de nouo repetita planè opus habuerit.

De virtute radicis huius hoc tamen ſimul ſciendum eſt, quod, quo lues in corpore plus inueterauerit, hoc citius ſaneſcat & expugnetur. In ſenibus enim quam in iuuenibus expeditius quoque tollitur exigiturque. Id quod ad humorum abundantiam referri volunt, quæ in ſenibus rarior minorque ſit.

Quæ post curam diæta conueniat. Diebus 30. exactis, necdum ad aliud potus genus redeundum eſt, ſed in ſolito diutius adhuc immorandum. Scobem itaque diligenter aſſeruari conuenit, vt eius vncia vna cum aquæ, quæ ad diem ſuffectura ſit, quantitate indies recens coquatur. Hæc tamen decoctio non tam exquiſita eſſe debet, quam prior, vt nimirum pars aquæ dimidia vaneſcat: verum leuis ſcobis quaſi ebullitio huic inſtituto abundè ſuffecerit. Aqua ergò hæc, priore multo tenuior, diebus adhuc 20. vel 30. potanda eſt, & ſtudioſè vitandi piſces, cibique alij crudiores, vt caro bouina, vaccina, ſuilla, & ſimiles. Turbati quoque aëris aut venti concitati impetus nauiter declinandus eſt, vt integræ valetudinis recuperationi nihil quicquam obſtet. Diebus tandem & his euolutis, paulatim ad prius conſuetum tum cibum tum potum redeundum eſt, ſenſimque libero quoque aëri aſſueſcendum, exceſſibus tamen immodicis ſemper fideliterque euitatis. Sudor quoque porro ea, qua primis diebus, opera minimè ciendus. Ante omnia autem, qui hoc aduerſus luem remedio vti decreuerunt, probe admoniti ſint, vt eius curationem nunquam ordiantur prius, quam commoda purgatione humorum illuuiem è corpore exegerint. Quæ ipſa tamen die à curationis initio decimo reiteranda: tandemque elapſo die 30. pro corollario addendo reſumenda fuerit. Sic prauorum humorum multitudine non obſtante, medicamenti generoſitas & virtus ad quaslibet etiam extremas corporis partes ſincerior, validiorque euaſura erit.

Vſus Chinæ in alijs quoque morbis. Radix autem hæc non ad luem hanc modo euellendam commoda eſt: verum etiam in frigidis & reſolutoriis morbis quibusuis medelam tutiſſimam præſtat: vt ſi cui articuli ex immoderata refrigeratione aut reſoluti, aut contracti, aut quouis alio modo taminati ſint. Sed & in arthritide ſalutaris eius vis à Carolo V. Cæſare auguſtiſſimo cum magno ſucceſſu & gratulatione probata eſt. *Caroli V experimentum.*

Sed & de tempore hoc ſciendum eſt, non quouis promiſcuè anni ſtatu conditioneue Chinæ vſum tutum & ſalutarem eſſe. Vt enim diebus æſtiuis propter intenſiſſimũ caniculæ feruorẽ: ſic & brumalibus propter rigiditatẽ & ſummum gelu aëris commodè potari nõ poteſt. Vere tamen & autumno præcipuè vſurpari ſolet, cõſilio periti medici, qui diſcrimina perſonarum, temporũ, complexionũ, ætatum, locorumq; prius diligenter expenſurus ſit, ſemper præmiſſo.

Radicem aliter Indi aliter Chinenſes parant. Prædicto hoc modo radice Chinę Indi vtuntur, Chinenſes vero qui regionem frigidiorem, & eandem ferè cum climate noſtro incolunt, lignum fortius & vberius decoquunt, vnciis binis ligni ferè menſuras aquæ quatuor addendo, & ad duas tertias decoquendo: quæ confectio Indis, propter aëris æſtum maiorem, tolerari minimè poſſet. In omni curatione vero inſtituenda diligentiſſimè tum ad ægri naturam, tum morbi rationem reſpiciendum eſt. Mitiore ſiquidem morbo exiſtente, & ligni quantitas minuenda, & aqua non æquè fortiter decoquenda erit. Pari modo, ſi iuuenis curatio inſtituatur, fortius aqua coquenda, quàm ſi eadem ſeniori impendatur: quod iuuenes humorũ copia plus abundẽt.

Si quis fortè ſit, qui nullo ab humoribus prauis morbo infectus, radicis huius decoctum potare vellet: huic vſu illius nullo dubio tum ſanguis, tum caro abſumetur, adeoque vis corpori inferetur haud modica. Qua cauſa in decernẽdo huius radicis vſu peritiorum conſilio ſemper viuendum eſt. Sed & ſi nimia copia bibatur, aut potetur decoctio nimis calida, tunc & pulmones heparq; facilè aduruntur, & apoſtemata, ſcabies, affectuſq; ſimiles in toto corpore ſuſcitantur, quorum curatio poſteà difficilis euadit & laborioſa. Quæ hoc loco vniuerſa à me commemorata propter eos volo, qui radicis huius naturæ & efficaciæ ignari eius vſum cum periculo aliquando fors aggreſſuri eſſent. Intempeſtiuus ſiquidem illius vſus, vt multorum valetudinem miſerè obterit: ſic viciſſim recto & modo & tempore propinata radix adeò ſalutaris & benefica eſt, vt decoctæ ex eo aquæ ſpuma quoque priuatim omnifaria apoſtemata & tumores, ex lue interius latente enatos, percuret & excindat. *Sani ex China radice offendũtur.*

Radix vero quo nigrior, eo melior. Nodoſa admodum, non optima. A qua vero arbore radix demitur, fruticis more excreſcit, altitudine ſupra terram exurgens ſpithamarum quaternarum quinarumue. Folia pauciſſima profert, quorum facies externa aurantiorum teneriorib. foliis ſimilis. In China arbor ea *Lampaton* dicitur. *Delectus.*

Et hæc de radice China hactenus dicta ſufficiant: quæ hoc nomen ab eo obtinet, quod præterquam in China aliàs nullibi reperiatur. Cætera, quæ virtutem eius vlteriorem ſpectant, à medicis aut mercatoribus, qui eam commerciis quotidianis tractant, plenius quærantur & perueſtigentur.

ANNOTAT. D. PALVD.

CHYNAE radix apud Ægyptios in frequentiſſimo vſu eſt, non ad luem tantum Indicam expugnandam, ſed morbos quoq; alios tollendos. Iis autem præcipuè magno commodo eſt, quorum corpora ex cauſa tabeſcunt & minuuntur. Hi radicem in iuſculo gallinaceo decoquunt, cuius decoctum ſi diebus aliquot continuis bibant, & corpore pariter pingueſcunt augenturue, & colorem vultus reſumunt viuidum nitidumque. Vehementer enim deſiccat radix, & ſudorem è corpore proliciendo, putredinem humorum arcet, vires roburq; hepati addit, pellit aquam ventris ſeroſam, abſceſſus grauiores, vt etiam malignam ſcabiem lepramque tollit, gallicis medetur, tabidos reficit & ſaginat, & lienem tandem induratum ſcirrhoſumque attenuat. Hucuſque D. Paludan. *Chinæ vſus.*

Cap. XXXIV.

DE AMFION SEV OPIO.

Nomina. AMFION ſicà Luſitanis dictum apud Arabes, Mauritanos & Indos Affion vocatum, nihil aliud quam Latinorum eſt Opium: quod partim ex *Cayro* AEgypti, partim ex *Aden* Arabiæ littore, nonnunquam ex ſinu maris rubri, Luſitanorum quondam imperio ſubiecto affertur. Eius tamen *Solum natale.* pars maxima ex *Cambaya & Decan* effertur. Quod ex *Cayro* apportatur, candidum eſt, & *Mecery* vocatur. Ex *Aden* verò & mari rubro finitimis locis aliis aduectum, duriuſculum & ſubnigrum eſt. Ex *Cambaya* verò & *Decan* petitum, friabilius eſt & purpurantius.

Quid ſit? Eſt verò *Amfion*, quod ex capitibus papaueris inciſis ſeu vulneratis gummi ſpecie promanat. Succus hic pleriſque Indis paſcuus eſt, comprimis autem Ma- *Mirabile de Amfion.* labaris, ad quos ex *Cambaya* & regionibus aliis cum mercibus aliis importatur. Huius eſui qui ſemel aſſueuit, niſi id indies iteret, tempore breui factus tabidus commoritur. Aſſueſcentes, quantitatem primò vorant minimam: dum naturæ cibum q. familiarem reddiderint. Deinde quotidiè 20. vel 30. grana, nonnunquam plura ingerunt, & conſtanti tenore id poſteà indies continuant. Si aut ex conſilio aut incuria dies 4. vel 5. intermittant, moriuntur. Sed ex eo hi quoque commoriuntur, qui nondum aſſueti cum aſſuetis parem illicò doſim deuorant. Veneni enim quid habere videtur: cum, qui illud edũt, quaſi in ſomnũ proni in- *Vſus eius.* cidant. Hunc verò in finẽ indigenæ illud vorant, vt q. ex dimidio inſenſati fiant, adeóque labores, curas & ærumnas cætéras ſolemnes obtuſius perſentiſcant. Sed & libidinis cauſa illud ingerunt. Peculiari dote ſiquidem virile ſemen cohibet, vt tardius in Venereo cõflictu erumpat. Quę reſtitatio ſeu mora mulierculis Indicis ideò grata eſt, quod hoc pacto cum maritis ſuis diutius libidinari & oble- *Malignitas.* ctari queant. Huius tamen qui nimium vorat, is tandem eneruatur q. & emaſculatur, vt ad gignẽdum ineptior euadat. Semen etenim genitale oppidò refrigerat & exiccat: quod ab Indis ipſis affirmari ſolet. Itaque vſus eius apud Regulos & magnates alios rarior.

ANNOT. D. PALVD.

Facultas Opij. *OPIVM ſuccus papaueris nigri eſt, cuius duo ſunt genera. Primum ex folijs & capitellis eius contuſis exprimitur. Hoc Græci Meconium vocant. Alterum ex capitibus eius vulneratis extillat. Hoc genuinum eſt Opium. Optimum illud eſt, quod graue, denſum & ſolidum eſt, ſaporem amarum offerens, & odoratu ſomnum inducens, in aqua prompte liqueſcens, alias molle, candidũ, ſine ſordibus exiſtens. Turcæ priuato nomine id Maslac nuncupant: quod indies piſi magnitudine deuorant, non ad ſomnum conciliandum quidem, ſed acuendum & inflammandum animum, ſi in pugnam breui ruituri*

turi ſunt. Eo enim ſe animoſiores fieri poto, aut iucunda inſomnia, ludicraue cum pulcherrimis fœminis agitata videre, certa perſuaſione credunt. Indubitata tamen interim obſeruatione conſtat, eos qui opio quotidiè veſcuntur, macilentos & ſaporoſos, tum quoque in dictis factiſque inconſtantes fieri, adeò, vt cum ipſis nihil ſolidi tractari aut confirmari queat. Hucuſque D. Palud.

Cap. XXXV.

DE BANGVE.

BANGVE cibus eſt Indis frequens, ad omnia ferè vtilis ceu Amfion. Cannabini ſeminis inſtar ſemen eſt, at minus tamen, nec æquè candidum. Hoc quæ arbor gignit, Cannabi & ipſa ſimilis eſt, nullis tamen vſibus commoda. Huius arboris tum folia, tum ſemen Indi contuſa mandunt: quibus ſibi cibi appetitum cieri commemorant. plures tamen eadem comedunt, vt paratioribus officiis ſuas ſibi vxores concilient. Nam & hoc titulo perſæpè venditur. *Bangue quid? Eius varia præparatio.*

Idem aliis quoque rebus commiſceri ſolet. Nam vt ebrietatem inducat, nonnulli Areccam addunt cum mace, vel nuce muſcata. Alij, qui opulentiores ſunt, Garyophyllos, Camphoram, Ambarum, moſchum & Amfion commiſcent: quam miſcellam Mauritani atteſtantur ſummam hilaritatem concitare, & mentis angores ægritudineſque arcere, tam prompto auxilio, vt eliſis omnibus animi cogitationibus triſtioribus homo nihil agere aliud, quam ridere queat, aut ad ſomnum tranquillum ſe componere ſtudeat. Quædam mulierculæ ſuis maritis petulantius & laſciuius cohabitaturæ, eo ſtudioſè vti aſſolent, vt hoc pacto omnium antegreſſarum ærumnarum & dolorum obliuionem ſubire poſſint. Vis huius plantæ à capitaneis & militibus omnium primo prodita innotuit. Qui, quoties à longis excubiis & ærumnoſis bellorum laboribus ſeſe nonnihil recreare ſatagunt, *Bangue* dicto modo paratum mandunt: quod eſitantes eouſque ſecuros, alacres & faciles reddit, vt velut ſenſu carentes perpetuo tantum riſu quatiantur, & miris geſticulatiunculis tandiu fatigentur, dum ſeminis facultas in corpus vim fundens exoleſcat. Itaque eius vſus Indis frequens eſt, nec minus ipſis Luſitanis: omnium tamen creberrimè ſclaui aut mancipia eo guſtato ſe dementant, vt nimirum dolorem animi, ex ſeruitutis & aliarum ærumnarum recordatione contractum, ſuo quodam tempore obliuiſcantur. Et vt verbo dicam, contra omnem animi mœrorem triſtitiamque id remedium præſentiſſimum eſt. *Mirifica vis. Vnde & à quibus repertum.*

ANNOT. D. PALVD.

BANGVE crebri quoque vſus apud Turcas & Ægyptios eſt. Id triplici modo parant, & tot nominibus indigetant. Primum Ægyptij Aſſis vocant. Hoc nihil aliud eſt, quam ex Cannabinis folijs læuigatus puluis, *Bangue, quot genera, tot diſcreta nomina.*

Aſſis quid? cum aqua in maſſam coactus, de qua fragmina quinque tot caſtanearum magnitudine deuorant. Qui ederunt, vnius horæ ſpatio non ſaltem ebriorum naturam æmulantur, verum paulò poſt toti amentes comparent, extra ſeipſos q. abeunt, & viſiones varias non ſecus ac Ecſtatici vident, quibus oppidò affici delectariue ſolent. Hoc genere plebecula vulgatior vtitur, cum pretio viliore cõſtet. Sed ex cannabe tam varia & ridicula ſymptomata enaſci poſſe, ei credere haud difficile eſt, qui illam caput grauiſſimè ferire & confertim opplere ex Galeno didicit.

Boſa quid? Alterum genus Boſa vocatur, quod priore Aſſis valentius eſt. Hoc ex lolio in pollinem trito, & cum ſemine cannabis aquaque ſubacto, & prioris exemplo in maſſas efficto, conſtat. Quidam ex herba illa ſuccum expreſſum ſorbent. Tertium

Bernaui quid? Bernaui appellatum, verum & genuinum Bangue eſt, quod ex India paratum concinnatumque affertur, ſicut hoc loco ab autore recenſitum eſt. De hoc pondere vnciæ vnius vorantes, primò lætabundi comparent, varia & ridicula nugantur, cantiunculas & leuiculos hymnos pſallunt, riſu ſoluto ilia quatiunt, & quæcunque alia inepta ſeu ludicra ſunt, fingunt præſentantque. Hæc hilaritas vnius fere horæ ſpacio agitatur. Poſteà in iram feruntur excandeſcuntque, ita vt cæſim punctimque obuia omnia adoriantur. Vbi hoc pacto aliquandiu ſæuitum eſt, q. conuerſi in metum timoremque aguntur, adeò vt plorare & angi incipiant. Tandem ſomno profundo occupantur. Quo ſoluto, ad formam mentemque priorem redeunt. Hoc genere illi fere vtuntur, qui palpones aut balatrones ad ſerenandos & excitandos hoſpites conuiuia obeunt.

Bers quid? Ægyptijs præter hæc genus aliud quoque eſt, quod Bers vocant, quod idem eſt, ac ſi dicerent Vnius horæ valetudo. Hoc ex leucopipere, ſemine papaueris albi: vtriuſque vncijs duabus cum ſemiſſe mixtis, conficitur: quibus tamen poſteà conferunt Opij drachmas decem, ſpicænardi, Euphorbij, pyrethri, ſingulorum Mitchal vnum: croci ſcrupulos quindecim. Hæc confuſa in marmorea pila tundunt, & cum mellis requiſita quantitate in formam electuarij cogunt finguntque. Hæc D. Palud.

Cap. XXXVI.

DE CAMPHORA.

CAMPHORÆ duo præcipuè genera vſitatiora ſunt: vnum *Borneu*, quod ſelectiſſimum: alterum *Chinenſe* ſeu *Chincheu*, quod priore multò eſt deterius ſeu vilius, in arbore quadam iuglandis magnitudinem habente proueniens. Eſt autem nihil aliud, quam gummi quoddam, ex caudice prognatum & ſtillarum modo expreſſum. Camphora Borneu nonnunquam & in Inſulis *Sumatra*, *Sunda*, & vicinis locis aliis inuenitur, milij magnitudine extillans, colore candicante. Indi huius delectum varium faciunt. Diuerſa enim cribra ad excolandum quodlibet adhibent, foraminibus alia aliis pluribus & maioribus pertuſa. Quod de foraminib⁹ anguſtioribus excidit, viliſſimum habetur. Ab hoc deinde quô genus quoduis altero maius aut grādius perlabitur, eo nobilius cenſetur, nō ſecus ac alibi de perlis à nobis cōmemoratum eſt. Camphora nonnunquam reſinis aliis, aut polline radicum quarundam adulterari ſolet, ſicut Indi rerum cæterarum omnium fucos quoque apprimè callent. Quod diximus ſuperius, *Camphora Borneu* cæterarum omnium eſt optima. Quam tamē rariſſimè ad nos inferri, credi par eſt. Quę verò *Chincheu* Camphora dicitur, abunde ſatis forma paſtillorum ad nos quoquouerſum diſtribuitur, ſed pretio longè minore. Nam *Borneu* Camphoræ libra vna, eodem cum 100. libris Camphoræ *chincheu* pretio appenditur. Cum hac tamen illa plerunque commiſceri & fucari ſolet: cuius colorem tam dextrè mentitur perſæpé, vt fucus in minimo, emptori non redoleat.

Camphoræ genera. *Delectus.* *Infucatio.*

Cap. XXXVII.

DE TAMARINIO.

TAMARINIO per vniuerſam paſſim Indiam, comprimis autem apud Guſarattas, & in parte ſeptentrionali Goæ prouenit. Tamarinio Malabaris dicitur *Puly*: Guſarattis verò & Indis cæteris *Ambily*: Arabibus Tamarindi, quod Tamaras Arabum Dactylos ſignificent, propter quorum ſimilitudinem eos Tamarindos, id eſt, Dactylos Indicos vocant, quos Luſitani dein ſecuti, Tamarinio nuncuparunt.

Tamarindorū nomina.

Arbores Tamarindorū Caſtanearum ſeu nucum magnitudine ſunt: quarum rami craſſi ſolidique foliis pleniſſimè turgent. Fructus ipſe autē digiti ferè longitudine eſt, cortice foris viridi veſtitus. Sicceſcens autem cæruleum colorem induit. Intus granis fabarum grandiſſimarum magnitudine prægnans eſt, quæ foris ea carne integuntur, quæ proptie Tamarinio dicitur.

Arboris facies. *Fructus ſitus.*

Tamarinio ſubſtantia viſcida & glutinoſa exiſtit, adeóque tractata manibus, eas lentore inficit. Ex illis Indi compoſitum parant intinctum, qui ſaporem acidum & ſubacriuſculum refert. Hunc aceti omphacini noſtratis loco vſurpant, valdè gratum & ſapidum, quem *Veriuys* appellant: nec vnquam pro cibo oryzam decoquunt, cui Tamarinio nō adiungant. Intinctū *Caryl* vocant: cuius qui præſens confectionem videat, eius ſatietate facilè obruatur. Nam Tamarinio manipulis prehenſos, violenter exprimunt, vt ſubſtantia melior, non ſecus ac putrida meſpila, per digitorum interſtitiū craſſiuſculè perprimatur. Hæc tamen

Caryl quid?

tamen expreſſio Oryzæ & eduliis reliquis ſaporem haud ingratum conciliat. Vnde cum pleriſque ferculis concoquitur, non ſecus ac apud nos vuæ criſpæ, aut aliæ non ſatis maturæ.

Tamarindi aluum ſoluunt. Tamarinio valdè quoque miſcendis purgatoriis medicinis confert. Pauperiores enim, qui Rhabarbarum, Mannam, & cætera ſolutiua precioſiora redimere nequeunt, ſolos Tamarindos cum aqua expreſſos, ſub auroram ieiuni bibunt, vnde & leuiſſimè & tutiſſimè purgari ſueuerunt. Sed hoc modo parandos, recentes adhuc & virides eſſe oportet. Medici iis quoque cum herbarum aut fructuum aliorum decoctione quoque commixtis vtuntur, felici ſucceſſu & commodo certiſſimo. Sed iidem conditi in Luſitaniam, Arabiam Perſiamque, vt & remotiores terras alias inferũntur. Indi vt fructus integros ex arboribus vellũt, ſic ſaccharo condiunt, & electuarium ſuauiſſimum inde cõcinnant.

Fructus capſa qualis. Fructus ex arbore vaginę breuioris modo dependet, non tamen recta præciſè forma porrectus, ſed leuiter curuatus aut arcuatus. Tota hæc capſa noctu ſe pandit aperitque, & ſe arboris foliis ita inuoluit, vt ab iis contra frigus nocturnum q. muniatur & prætegatur. Aurora prodeunte ex illis ſe rurſus expedit, & nudum ſpectandum hominibus rurſus offert, ſicut his meis oculis cum ingenti delectatione ſimul & admiratione aliquoties incoram notaui. Fructus, non niſi folliculis ſuis exemptus vendi ſolet: Cuius tamen plures vno numero ſe mole plerũque connati aut agglutinati cohærent. Cuiusmodi maſſa nec ad aſpectum iucunda, nec ad contactum ſecura admodum eſt. Facile enim muco, & viſco ſuo manus taminat. Propter ſummam in India abundantiam pretio venduntur leuiſſimo.

ANNOT. D. PALVD.

Nomina. *TAMARINDI ab Ægyptiis Derelſide vocantur. Hos arbor pruni ſimilis gignit, craſſis & ramis & foliis, myrthinis non diſconuenientibus, robuſta. Flos eius aurantiorum ferè eſt, ex quo fructus enaſcitur, cortice ſeu pellicula ſua priuatim veſtitus, quem Tamarindum nuncupamus. Huius arboris folia perpetua conuerſione ſolem aſpiciunt: ad cuius occubitum, ipſa quoque contrahuntur, & fructum ſub ſe ſuum pariter abſcondunt. In hortis prope Alcayrũm harum arborum quaſdam virentes vidi, vt & iuxta S. Macarij Cœnobium in ſolitudine quadam, vbi præter has arbores nihil quicquam vel plantarum vel fruticum arborumue prouenit.* *Vſus.* *Turcæ Ægyptiique huius medullam aduerſus ardentes febres adhibent, quam in limpida aqua maceratam epotant. Mihi ipſi quoque, cum in Syria eſſem, huius hauſtus præſenti contra febrem grauiſſimam remedio fuit. Hanc medicinam illi vulgatam contra peſtiferas, aliuſque generis febres, vt & contra hepatis renumque inflammationes grauiores, ſecum ferunt,*

ferunt, quoties per vaſta & arida loca iter inſtituunt. Huius integros folles, cum ſuis incluſis Tamarindis, prout ibi enaſcuntur: ſicut & folia cum canna fiſtula, ſicut eadem à me in Ægypto decerpta ſunt, apud me domi videre eſt. Folia autem ſingulatim contra puerorum vermes proſunt. Folliculi verò recentes, tum huius arboris, tum caßiæ fiſtulæ, cum melle ex Xylocaracta aut ſaccharo in India condiri quoque ſolent: cuius confectionis integros vrceos pleos equidem mecum inde auexi: Hucuſque D. Palud.

CANNA fiſtula ſeu fiſtularis, purgatoriis medicinis valdè ſalubriter addi ſolita, vberrimè prouenit tum in India, tum Cambaia, Seylon, Malacca, lociſque finitimis aliis. Cum verò in Hiſpanica India quoque naſcatur, adeò vt vbiuis terrarum paſſim notiſſima ſit: eius deſcriptioni ſuperſedendum ratus, ad minus cognita ſtylum conuertam. *Canna fiſtula ſeu caſſia.*

ANNOTATIO D. PALVD.

ARBORVM huius generis magnam mihi copiam videre contigit in Ægypto, præcipuè verò ad Damiatam, vrbem Ægypti floretißimam, Nilo acclinem. Caßiam, quæ huius arboris fructus eſt, Ægyptij Chaiarxambar vocitant. Arbor ipſa nucis magnitudine ſuccreſcit, cuius quoque caudicem, ramos & folia apprimè refert, niſi quod floſculos aureos valde odoratos gignat, ex quibus poſteà canna demittitur, caßia ſua intus prægnans. Cannæ huiuſmodi recentes adhuc, teneræque, nec dum ſubſtantiam ligneam indutæ, ab incolis plerunque condiri ſolent. Caßiam Ægyptij ſaccharo & ſucco liquiritiæ ſubactam contra calculum & veſicæ renumq; affectus: vt & contra tußim & aſthma cum Agarico compoſitam felici euentu vſurpant. Contra inflammationes verò, eandem quoque foris crudam vel ſolitariam imponunt. De hac qui plura deſiderat, præter alios Matthiolum videat, qui hiſtoriam eius accuratius ſimul & fuſius deſignauit. Huc vſque D. Palud. *Caſſia vt naſcatur.*

Cap. XXXVIII.

DE MYROBALANIS.

Myrobalani vt naſcantur.

MYROBALANI multis paſſim locis in Cambaya, *Ballagatte*, *Goa*, Malabaria & Bengala naſcuntur. Hi quinque ſunt generum. Primi, Medicis citrini, Indis *Arare* dicti, rotundi ſunt, educendæ choleræ præcipuè idonei. Secundi Emblici nuncupantur, Indis autem *Amuale*. His ad coria præparanda non ſecus ac ſumach vtuntur, quibus quoque iam maturis, ſed tamẽ adhuc virentibus ad appetitum languentem ſuſcitandum veſcuntur. Tertij Indis *Reſonualle*, illorum verò Medicis Indici dicti, octangulares ſunt. Quarti Medicis Bellirici, Indis verò *Guti* vocantur. Hi globoſi ſunt. Quinti Indis *Arectan*, medicis verò Chebuli vel Quebuli appellati, oblongi, rotundi, & modicè anguloſi ſunt. Arbores pruni ferè facie ſunt, aliæ tamen aliis foliis diſcriminatæ. Fructus harum in genere cum pruni fructibus quoque conueniunt, niſi quod (vt diximus) alij anguloſi, alij completè rotundi ſint. Horum tria genera medicis vſitatiora ſunt: *Quebuli*, in Cambaya, *Biſnagar* & Bengala nati, qui electuarij forma conditi eſitantur, & magna copia in Luſitaniã & loca alia tranſuehuntur. Citrini & Indici in Malabar frequentes ſunt, nec minus in *Baticalà & Bengala*. Hi multis vſibus deſtinantur: qua cauſa etiam pluris æſtimantur, & copia non tenui quoquouerſum ad exteros efferuntur. Prius, quã plenè maturuerint Myrobalani, ſaporẽ immaturorũ prunorum reddunt. Sed cum horum cenſura ad medicos propriè ſpectet, nos de iis pauciores erimus. Quos ideò ſaltẽ hoc loco nominare placuit, quia propter ſummum & incredibilem eorum prouentum in India illis magna commercia agitentur.

Facultas myrobalanorum.

ANNOTAT. D. PALVD.

Genera myrobalanorum.

OMNIA hæc Myrobalanorum genera ſiccata ad nos ex India importantur. Quædam eorum prætereà etiam ſale, quædam ſaccharo condita aduehuntur. Primi citrini ſeu flaui nuncupantur. Hi, quo flauedinis plus habent, eo meliores cenſentur. Qui ſaturate adeò flauent, vt ad virorem nonnihil deficiant, & ſimul denſi, ſolidi, gummoſi, & cortice craſſo veſtiti ſint, ventriculum bile exinaniunt, febribus tertianis & mixtis aliis grauioribus medentur, & certo emolumento naturis picrocholis ſeu bilioſis manducantur. Alteri Indi dicti, nigricant: eo meliores, quo atriores. Hi bilem quoque, ſed atram præcipuè euacuant, artuum tremoribus medentur, colorem corpori addunt, & mentis triſtitiam abigunt. Tertij cebulæ ſeu Chebulæ vocantur. Hi quo grandiores, eò meliores putantur. Ex nigro nonnihil rubeſcunt, pondere ſuo in aquam merſi promptè ſubſidunt, pituitam mucumque è corpore edu-

educunt, mentem acuunt, & viſum roborant. Ad nos aut ſaccharo aut melle conditi afferuntur, purgando roborandoque ventriculo idonei. Aquas, etiam ventris exigunt; & febribus antiquis auxiliantur, cibi appetentiam ſuſcitant, & eiuſdem aſſumpti concoctionem promouent. Quarti emblici nuncupantur. Quibus quinti, Bellerici vocati, concurrentes, eiuſdem ferè cum Chebulis afficaciæ ſunt. Corpus etenim cruda pituita exonerant, quæ præcipuè cerebrum, renes & ſtomachum obſedit. Inſuper & cor reficiunt roborantq;, & ventriculi languentem appetitum erigunt; vomitumque cibi aſſumpti compeſcunt. Quem ad finem vſumque emblici quoque condiri ſolent. Fructus hi in vniuerſum omnes corpus prauis humoribus perpurgant, modo tamen longè alio, quam vel caſsia vel manna, vel his medicinæ ſimiles aliæ. Nam non virtute id præſtant ſpecifica, aut qualitate ſolutiua: verum mera adſtrictionis vi, qua, quicquid in vicinis partibus humoris praui conſedit, vi quadam exprimunt, & expreſsione hac aluum ſubducūt. Qua de re vberius legatur Matthiolus, Garcias ab Horto, & his ſimiles alij. Hæc D. Palud. *Myrobalani qua facultate purgandi valeant.*

Cap. XXXIX.

DE AROMATIBVS ET HERbis Indicis aliis.

SPICÆNARDVS in regionibus *Silor & Mador* (quæ terræ *Decan & Dely* apud Bengalam conterminæ ſunt) prouenit. planta duarum ternarumue ſpithamarum eſt, frumenti more ſuccreſcens; cuius fibræ priuatim Spicænardi dicuntur. Hæ ex radice paulum ſupra terram enaſcuntur: & ex Cambaya potiſſimum ad nos efferuntur. *Spicanardus vbi.*

ANNOTAT. D. PALVD.

SPICA Indica ventriculum calefacit, tum pota, tum admota. Sed & affectibus cæterarum partium frigidis omnibus auxilio eſt. Hæc D. Palud. *Vſus.*

ALOEN Arabes *Sebar*: Decanini *Area*: Canaryni vero *Cate comer*: Luſitani *Azeure* indigetant. Succus hæc eius herbæ eſt, quam Luſitani *Babozam* appellitant, cuius prouentus maximus in Cambaya, Bengala, & locis his finitimis aliis eſt. præcipuè tamen in Inſula *Aloë. Nomina.*

 quadam

quadam *Sacotora*, quæ ad fauces maris rubri ſeu *Eſtreccho* de *Mecca* ſita eſt, eius cremẽtum laudatiſſimum & vberrimum eſt, ex qua allata *Aloës Sacotorina* ſeu *de Sacotora* nominatur, quæ cæteris nobilior eſt. Hæc negotiationibus in Turciam, Perſiam, Arabiam Europamque copioſè traiicitur.

Aloës Sacotorina vnde?

ANNOT. D. PALVD.

Aloës facultates.

Loe ventriculi bilem pituitamque tenacem expurgat, ea præcipue quæ lota eſt. Inſuper & viſcerum obſtructiones expedit; humorum lentorem incidit, & putredini aduerſatur. Iuxtà tamen ipſum quoque ventriculum roborat, aſperitatem gutturis lenit; & eos, quorum ſtomachi crudis ſuccis imbuti ſunt, apprime iuuat. Huius correctio fit addito cinnamomi, aut nucis muſchatæ, aut macis momento. Foris quin etiam contra depaſcentia vlcera imponitur: & collyrijs feliciter commiſcetur. Hucuſque D. Palud.

Anacardi. Appellationes.

Nacardi fructus in multis paſſim Indiæ locis prouenit, vt in *Canonor* in *Calcut*, *Decan* & ſimilibus. Arabibus is *Balado*: Indis *Bibo*: Luſitanis *Fauo* de Malacca, id eſt, Faba Malaccana, propter ſimilitudinem, quam cum illa habet, niſi quod fabis noſtratibus nonnihil maior ille fructus ſit, dicitur. Cum lacte contra difficilem reſpirationem Indi illo vtuntur, vt & contra vermes, & his morbos ſimiles. Ex eo viridi *Achar* conficiunt, id eſt, ſale & aceto maceratum condiunt: prout idem ſuperius de pluribus quoque aliis fructibus commemoratum eſt.

Vſus:

Achar:

ANNOTAT. D. PALVD.

Nacardi ſic dicuntur, propter ſpeciem ſeu figuram, quam cum corde habent, comprimis reſiccati. Dum virides adhuc ex arbore dependent, ſicut in Siciliæ monte Ætna mihi videre contigit, noſtratem fabam maiuſculam præfigurãt. Hi vt oliuæ condiri ſolent, eſui oppidò commodi. Intus ſucco madent, qui mellis ſubſtantiam habet, & ſaturate ſanguinei coloris eſt: extergendis ſanandiſque fiſtulis apprime vtilis. Qui conditi habentur, valde deſiccant & calefaciunt, memoriam acuunt, cerebrum & neruos roborant, ſenſus omnes & ipſam mentem clarificant, & capitis affectibus vniuerſis frigidis commode auxiliantur. Hæc D. Palud.

CALAMVS aromaticus in Guſaratte, *Vazi*: in Malabar, *Vaſabu*, in *Decan Vache*: in Malacca *Daringoo*: in Perſia *Heges*: in Curcan, quæ regio iuxta Goam ſeptentrionalis eſt, *Vaycan*: in Arabia, *Caſſab & Aldiria* appellatur: in Indiæ locis pleriſque, vt Goa, Guſaratte & Ballagatte, frequentiſſimè ſeri ſolitus. Hic, niſi ex terra euulſus, nunquam odorus eſt: quem Indicæ muliercülæ contra affectus vteri & partium neruoſarum vſurpare ſueuerunt. Sed idem & equis obiici ſolet. Cælo ſiquidem auſtrino vento rigeſcente, eũdem decoquunt, & cum allio, cumino, ſale, ſaccharo & butyro mixtum, tempore matutino propinant. Miſcellam hanc *Arata* nuncupaut, quam equis valdè ſalutarem profitentur. Eſt verò calamus aromaticus nihil aliud, quam huius herbæ caudex ſeu arundo, quæ materiam intus ſpongioſam & flaueſcentem continet. Radix ipſa autem nullis vſibus apta eſt. *Calami aromatici nomina.* *Vſus.* *Arata, equis vtilis.*

ANNOTAT. D. PALVD.

QVID verus & genuinus calamus aromaticus ſit, ſingularis eruditionis vir Carolus Cluſius comment. in hiſtor. Garciæ ab horto fol. 127. elegantiſſime deſignat: cui fragmenta quædam calami, ex Ægypto mecum allata, communicaui. Hunc incolæ Caſſa Elderira nuncupant: qui recens nihil aliud, quam arundo flaueſcens eſt, & nodoſa, fragilis, intus ſpongioſa, quaſi tela alba ſubtenſa, guſtatu mucoſa, acris & amara pariter. Ægyptij Theriacæ illum commiſcent, ad mouendos menſes, & corporis ſerum exigendum. Hucuſque D. Palud.

COSTVS Arabibus *Coſt* ſiue *Caſt* vocatur. In Guſaratte, Cambaya nuncupatur *Vlpot*: in Malacca *Pucho* dicitur. Naſcitur autẽ in Sitor & Mandor, vbi ſpicenardus quoque copioſè prouenit. Hinc in Cambayam & Indiam & loca porrò alia infertur. Flos eius candidus & fragrans eſt. Coſtus autem priuatim lignum eius & radix eſt: cuius frequentia commercia in Perſiam, Arabiam & Turciam inſtituuntur, quibus locis eius vſus permagnus eſt. *Coſti nomina.*

ANNOT. D. PALVD.

COSTI apud me varia & diſcreta genera ſunt: Indicus nimirum, quem omnibus ſuis notis eleganter Garcias ab Horto deſcripſit: vt & Arabicus, & Syriacus, cum genere quarto alio, quod Zinziberi ſimile eſt. Omnium optimus Indicus eſt, qui corpus inſigniter calefacit, & menſes vrinamque ciet, vterum tum ſumptus tum ſuffitus fo- *Facultas.*

uet & calefacit, quem ad conceptum quoque faciliorē diſponit. Inſuper & ſerpentum morſibus medetur, & thoracis affectibus omnibus auxiliatur. Hucuſque D. Palud.

Cubebarum nomina. CVBEBÆ Arabibus *Quabeb*, Indis *Cubachini* ſeu *Cubabchini* hac de cauſa dicuntur, quod ante hæc tempora, prius quam Luſitani Indiam adiiſſent, Chinenſes eaſdem ex *Iaua & Sunda* (quibus ſolis in locis naſcebantur) extuliſſent. Tum temporis etenim omnis in Indiam nauigatio, vt & cætera commercia vniuerſa Chinenſium ſolorum erant, quæ tùm mari tùm terra inſtituebantur. *Iauani* Cubebas *Cumuc* nuncupant. Hæ piperis modo creſcunt, appoſitis palis inſtar lupuli in altum ſurgentes: quarum folia & ipſa piperinis ſimilia ſunt. Quodlibet tamen granum peculiari pediculo fulcitur. Has Iauani tanto in pretio habent, vt nunquam niſi aqua prius decoctas venum dent, ne ſcilicet eius copia apud exteros quoque plantetur. *Iauanorum inuidia.* Magna frequentia Mauritanis vendi ſolent, qui eas vino iniiciunt ad Venerem acuendam, quem vſum præſtant non infeliciter. Iauani iis contra perfrictionem ventriculi & alios frigidos corporis affectus præcipuè vtuntur.

ANNOT. D. PALVD.

CVBEBAE piper & forma & magnitudine referunt. Optimæ autē illæ cenſeri ſolent, quæ denſæ, plenæ, ponderoſæ & guſtu acres ſunt, pipere tamen leuiores, & nonnihil amariores. *Cubebarum vis.* *Ventriculum virtute ſua calefaciunt roborantque, cuius ſordes & infeſtantes flatus exigunt, à muco tenace pectus etiam expurgant, & lienibus conducunt, flatus carminant, frigidiſq; vteri affectibus opitulantur. Cum maſtiche manſæ, cerebrum pituitæ copia exonerant, & idem pariter apprimè roborant. Hucuſque D. Palud.*

Folium Indicum. FOLIVM Indum, incolis *Tamalapatra* dictum, aurantiorum foliis ſimile prouenit, his tamen acutius viridantiuſque, ad cuius extremum tres manifeſtæ fibræ egrediuntur, quarum media duabus lateralibus ſtipata porrigitur. Folij odor idem ferè, qui Garyophyllorum. Arbor mediocris magnitudinis, non niſi ad fluuiorum ripas, aut lacus enaſcitur, in omni quidem India vulgaris, præcipuè tamen in *Cambaya*. Folia *Eius virtus & natura.* hæc magnis in India oneribus ſeu faſcibus venduntur: quæ vrinam ciere, & halitus fœtorem arcere ab incolis creduntur. Eadem quoque veſtibus & linteis apponuntur ideò, vt illorum vermes abigant. Hæc ſpicænardi vires per omnia æmulari, vulgò creditum eſt.

ANNOTAT. D. PALVDANI.

LATINI hoc folium nominaturi, vocabulum ex Indico Tamala patra, Malabatrium confinxerunt. Cadeſi Indi Arabibus dicitur, quod idem eſt, ac ſi

folium

Folium Indianum nuncuparent. Hoc quoque ad nos copia frequenti importatur, Venetias comprimis, vnde deinde porrò ad alios quoquouerſum traijcitur. Vſus eius eſt in vrina cienda, & ventriculi imbecillitate confirmanda, halituſque grauitate mitiganda. Hucuſque D. Palud.

GALANGA, Arabibus *Caluegia* dicta, duûm generum reperitur. primum, quod minus eſt, odoratum ex China in Indiam infertur, & hinc porrò in alia loca auehitur. Genus hoc in China Lauandou nuncupatur. Alterum nonnihil maius eſt, in Iaua Inſula frequentius enaſci ſolitum, vbi *Languas* ab incolis vocatur. Hæc Galanga non æquè ac prior odorata & fragrans eſt. Huius planta ſupra terram cubiti ferè altitudine exurgit; ſponte ſua enaſci ſolita, non arte aut induſtria exculta. Iauana verò 5. ſpithamarum altitudine interdum ſuccreſcit, folia cuſpidi haſtarum ſimilia protrudens, & flore candido conſpicua, ex hoc tandem ſuum ſemen oſtentat. Hæc etſi ſponte quoque vbiuis proueniat, nihilominus tamen à quibuſdam Indis in hortis quoque plantatur, qui eam acetariis & nonnullis aliis Medicinis adhibent, iis præcipuè, quæ affecto vtero quoquomodo ſuccurrunt. In India *Dayás* vocatur. Huius plantatio non ex ſemine quæritur, ſed ex radicis parte, Zinziberis modo in terram defoſſa & contumulata. *Galangæ genera.* *Natura & vis.*

ANNOT. D. PALVD.

GALANGA multis nodulis tuberans eſt, tum foris tum intus rubens, iuxta nodulos nonnihil reflexa, valde odorata & acris, tum forma tum odore cyperum referens: Qua cauſa etiã à non paucis pro Cypero Babylonico habetur. Hæc calefacit & deſiccat in tertio gradu. Quibus facultatibus ventriculum præcipuè roborat, dolorem à cauſa frigida aut flatibus concitatum tollit; animam grauem aut fœtentem emendat, palpitationem cordis inhibet cum ſucco plantaginis pota. Colicam ventoſam curat, & diſpoſitiones vteri flatuoſas excindit; vim genitalem ſuſcitat, renes refrigeratos recalfacit, & diebus ſingulis modica quantitate commanſa, Cephalæam tollit. Hucuſque D. Palud. *Facultas.*

HVIVS generis tum herbæ tum aromata alia quoque plurima in India omni paſſim enaſcuntur. Quorum tamen vniuerſorum cum nec nomina nec facultates vireſque mihi ſatis comperta ſint, eorum catalogum exactiorem Medicis, pharmacopœis aut materialiſtis, ad quos hæc res priuatim ſpectat, relictum volo. Paucorum tamen horum meminiſſe ideò ſaltem voluimus, quia & paſſim in omni India hæc notiſſima præ cæteris ſint, & in commercia frequentius abeant. Quo noſtro conſilio nos beneuolo lectori non diſplicituros, omninò nobis perſuaſum eſt. *Epilogus autoris.*

Cap.

Cap. XL.

DE VARIIS VNIONIBVS ET Alioffar, de gemmis itidem, vt Adamante, Rubino, Topaſio, Sapphyro, & nonnullis aliis; quæ diſcriminis gratia orietales dicuntur. Porrò & de lapide Bezoar, omnium veneniorum præſenti alexipharmaco: quo nimirum & loco & modo quæque horum reperiantur.

Vnionum nomina.

Vbi meliores reperiantur.

VNIONES Luſitanica lingua *Perolas*, comprimis grandiores, minores autem *Alioffar* appellat. Latini Margaritas: Arabes *Lulu*: Perſæ & Indi *Moty*: Malabari *Mutu* nuncupant. Omnium nobiliſſimæ & precioſiſſimæ orientales cenſentur, quę intra Ormũ & *Baſſoram* in ſinu Perſico iuxta *Baroyn*, *Catyſſa*, *Iulſa*, *Camaron*, & alia ſinus Perſici loca reperiũtur. Vnde in Ormum importantur. A Luſitaniæ Rege ordinatus & conſtitutus in *Baroyn* ſingularis *Factor* ſeu curator alitur, qui ſolius vnionum capturæ curam agitat. Sed & intra Seylon Inſulam, & Cabo de *Comoryn* margaritæ ingenti numero captantur quotannis. Quo loco à Rege Luſitaniæ peculiaris capitaneus cum certa militum manu ſuſtẽtatur, qui venationi operam impendat rectè accurandæ.

Cuſtodia rectè capiendarum concharum.

Vrinatorum numerus & pericula.

Eiuſdem conductu quotannis etiam 300. aut 400. vrinatores aluntur, qui ſolo huiuſmodi piſcatu victitant: quorum pars interdum mergitur, pars à Tubaronibus piſcibus, alias Hayen dictis, voratur. Poſtremæ dictæ margaritæ nõ tanti cenſentur, quanti quæ in Ormo captantur: quas incolæ ad primum intuitum quoque prompte diſcernere poſſunt. Margaritarum piſcatio apud Borneo & Anyon Inſulas iuxta littora *Chauchinchina* quoque celebris eſt. Sed Ormenſes dictæ has omnes pretio nobilitateq; exuperant; quæ 10. 12. 20. & pluribus interdum orgiis in aquarum fundis captantur. Omnes verò in conchis reperiuntur hoc modo.

Vniones, vt capientur.

Maiores in conchis ſunt, quæ aquæ altiora tenent. Minores, Alioffar dictæ, profundiorem aquam potiſſimum occupant. Has qui venantur vrinatores, nudi in aquam ſe demittunt, corbem ex collo reuinctum habentes: quem, ſi ſe profundius demerſerunt, expedita feſtinatione illis collectis complent, & in auram ſe rurſus efferentes, vicinis in ſcaphis ſociis ſuis profundunt, qui eas deinceps in littus euehunt, & ſoli exiccandas exponunt. Cuius vi & calore ſi conchæ panduntur, tum perlę ſeu Alioffar concluſæ in conſpectum dantur.

Vt diſpenſentur.

Vnius diei piſcatione finita, piſcatores cum Capitaneo, militib᷒, & cæteris opitulatoribus certo loco colliguntur: vbi à curatoribus regiis, captæ margaritæ omnes in aceruos certos ſegregantur, quorum primus Regi, ſecundus capitaneo & militibus, tertius Ieſuitis (qui terras illas Chriſtiana fide primi imbuerunt, & in vicinia Cœnobium extruxerunt) & poſtremus ipſis vrinatoribus nuncupatus cedit.

Ieſuitæ cur partem prædæ ſemper occupent.

Quæ diſtributio ſedulò & ſine omni fraude ad exactam æquitatem inſtitui ſolet. Hæc piſcatio æſtate ferè media fit: cuius decurſu non ſaltem quam plurimi ſuffocantur, verum etiam innumeri à graſſantibus piſcibus diſcerpũtur, ita, vt ab exacta piſcatione ingens planctus eiulatuſque tum viduarum, tum liberorum propter eos, qui perierunt, paſſim perſtrepet. Nihilominus tamen futuri proximè anni æſtate ad idem periculum ſuperſtitibus redeundum eſt, túm, quia hoc vno ſtudio vitæ egeſtatem leuare didicerunt, túm, quia à Luſitanis ferè ad opus hoc cogi ſolent, cum piſcationis regiæ titulo autori-

tatem

tatem publicam ſibi quilibet timendam cenſeat. Non minima tamen vrinatorum pars auaritiæ & lucri ſtudio, quod omne periculum leue facit, in hoc mali tentamen illicitur.

Concharum aliæ pauciores, aliæ plures, nonnullæ interdum ducentas pluresue margaritas continent. ex quibus verò optimæ & pretioſiſſimę eximuntur, læues & candidæ ſunt, Indis Cheripo dictæ, ex quibus cochlearia & patellas conficiunt. Vniones cribris vendi ſolent, ex lamina hunc in vſum confectis, & crebris foraminulis pertuſis. Cribrorum horum diuerſa genera ſunt. Primum foramina anguſtiſſima habet; permittendis margaritis minimis parata. Hæ pretium quoque leuiſſimum ſortiuntur. Secundum foraminum eſt maiorum, per quæ colatæ margaritæ maiori quoque pretio æſtimantur. Tertium, quartum, quintum, ſextum, ſeptimum, octauumque, vt pro foraminum proportione ſe ad inuicem habent; ſic pretio quoque augeſcunt & valore. Omnium verò viliſſimæ & minimæ margaritæ, quas *Alioffar* nuncupant, pharmacopœis pro remediorum mixtura vnciis vendi ſolitant, adeò, vt illarum multa pondera Venetias & in Luſitaniam pretio emptæ æquiſſimo auehantur. Incolæ perlas nitidiores facturi, oryzam cum ſale tundunt, qua mixtura illas probè perfricant, dum tãdem cryſtalli inſtar candeſcãt: quem colorem lucidum dein omni tempore retinent.

Quot plerunque perlas vna concha habeat.

Vniones cribris ſecernuntur.

Vniones vt candeſiant.

Præter dicta concharum genera aliud inſuper diuerſum reperitur, ab Indis *Chanca*, à Luſitanis *Madre Perola*, id eſt mater perlarũ dictũ. Illas affabrè & nitidiſſimè polire fingereque norunt, adeò vt à Luſitanis ingenti copia emantur, tum ad pocula ex illis concinnanda, tũ ornamenta domus alia paranda. Hæ in China & Bengala frequentiſſimæ ſunt. Nonnullæ harum inauratæ artificioſiſſimis toreumatis illuſtrantur, qualium ſpecimen ex illis capere licet, quæ interdum illinc ad nos efferuntur. Ex his præterea varia ornamenta parantur, vt menſæ, pulpita, capſæ, tabulæ luſoriæ, & harum calculi, bacilli, quales Indicæ fœminæ manibus geſtare ſolent, & huius generis opificia ſi quæ ſunt alia. Hæc omnia docta induſtria primum fabrefacta, poſteà *Chanca* nitidiſſimè inducuntur: adeò vt nulla ferè domus ſit, quæ huiuſmodi induſtria exornatam ſupellectilem aliquam multam non oſtendere poſſit. Et licet harum operarum Luſitania quoque hodie pleniſſima ſit, nullibi tamen earum fabricatio quam in India frequentior eſt. Fœminæ etenim Indicæ ante hoc tempus, & comprimis quæ in Bengala nobiliores erant, ex hac ipſa materia annulos & armillas paratas geſtabant. Nec vllam deflorare vnquam virginem licebat, cuius bracchiis huiuſmodi armillæ non illico innecterentur. Quod vt maximè vel hodiè in vſu eſt. Qua occaſione fit, vt operæ huiuſmodi ibi quotidianæ & ſolemnes ſint.

Mater perlarum.

Teſtudines quoque India copia ingenti profert; ex quarum teſtis ornamenta ſimilia quoque compluri ma conficiunt; vt pectines, pocula & phialas. Item fritillorum calculos, & ſimilia. Quæ omnia coloribus pulcherrimis tingere norunt, vt aſpectui amœniſſima occurrant. Propter quam tincturæ induſtriam Chancis teſtæ interdum quoque præferri ſolent.

Teſtacea opera elegantiſſima.

Cap. XLI.

DE ADAMANTIBVS,

Adamantum appellatio. Locus genitalis.

ADAMANTES vocant Mauritani & Arabes *Almas*: Indi *Iraa*, Malaij de Malacca, *Itam*. Naſcuntur Adamantes in Decan Regione poſt *Ballagatten*; iuxta ciuitatem *Biſnager*. Penes quam tres montes viſuntur, ex quibus erui ſolent, ingenti regis illius loci commodo & emolumento, qui ad illos excubias diligentes ſtatuit; & edicto ſingulari cauit; vt quicunque Adamantes 25. Mangelynos excederent, Regi offerrentur. Mangelyni verò ſinguli grana 4. appendunt. Contra Regium edictum ſi quis fraudulentus deprehenditur, tum & capitis ſupplicio plectitur, & fiſco eius bona mancipantur. Præter hoc in Decan prouincia mons quoque alius *Roca Velha*, id eſt, rupes antiqua dictus, celebris eſt, qui optimos promit Adamantes, maximo venire ſolitos pretio, quos Gemmarij, Indique facilè internoſcere poſſunt. Hi frequentes foro exponuntur illi, quod in *Liſpor* ciuitate agitur, quæ intra Goam & Cambaiam in Decan prouincia ſita eſt, quò Banyani, Guſarattæ, & Cambaij mercatores numeroſi commeant. Hi illic emptos, pòſt in Goam & loca alia inferunt, ipſis vendendis adeò ſolertes & impoſtorij, vt fucum quoque peritiſſimis alias Chriſtianis mercatoribus facere ſciant.

Emporium celebre in Liſpor.

In dicto monte *Roca Velha* Adamantes quoque naſcuntur, qui *Nayffes* dicũtur, ipſius naturæ induſtria pulcherrimè politi & lęuigati. Hi prioribus nobiliores cenſentur. In ſinu maris Taniapura propè Malaccam, rupes quoque hoc ipſo nomine, *Roca Velha*, nuncupata, pretioſiſſimos Adamantes parturit: qui prioribus quidem minores nonnihil, ſed ipſis tamen ponderoſiores exiſtunt.

Adamantes natiua politie inſignes.

Adamantes auri modo eruuntur ex terra. Quam ſi prima vice ſtantis erectè viri altitudine effoderunt, tum trium annorum ſpacio exacto noui ibidem Adamantes creuiſſe & prorupiſſe viſuntur. Horum quidam pondus 100. aut 200. pluriumue Mangelynorum habent: qui tamen rari ſunt.

Adamantum ſuccreſcentia. *Adamantum mira magnitudo.*

Lapis adamanti familiaris Topazius eſt, coloris eiuſdem, ſed ſubobſcurior, & minoris cenſuræ. Quanquam & horum ſua diuerſitas ſit. AEquè ac adamantes poliuntur ſcalpunturque in omnibus paſſim locis Indiæ.

Lapis Topazius.

Candentes quinetiam ſaphyri, & Rubini nonnunquam ab Adamantibus raro diſcernuntur, niſi cenſuram peritorum & accuratorum mercantium ſubeant.

Albi ſaphyri & rubini.

In pleriſque Indiæ locis quoque materia quædam pronaſcitur, quæ Cryſtalli montani ſpeciem refert. Cryſtallus tamen genuinus minimè eſt. Cryſtallum ſiquidem India nullum fert, vt nec omnis tractus orientalis. Materiam hanc Indi *Beryllo* vocant, quæ tamen à Cryſtallo vero haud multum diſtat. Hæc copioſa in Cambaya, Pegu & *Seylon* reperitur. Ex hac varias operas effingunt, nimirum circulos precarios, ſigilla, & huius generis alia, quæ partim Chriſtianis diuendunt, partim vſibus propriis reſeruant.

Beryllus.

Cap.

Cap. XLII.

DE RVBINIS, SPINELLIS, GRAnatis, ſmaragdis, & gemmis huius generis aliis.

Carbunculus.
Varij generis Rubini.

RVBINORVM genera varia exiſtunt: quorum pretioſiſſimi, qui Carbunculi nuncupantur. Hi ſunt, qui 25. *Quilaet* appendunt, quorum pauci & rari inueniuntur. Qui coloris & pelluciditatis optimæ ſunt, Indis *Tockes* vocantur. Sed & alij *Ballax* vocantur, qui priorum collatu cēſus vilioris ſunt. Præter hos & alios *Eſpinellas* numerant, qui coloris ignei ſunt, & cęteris omnibus leuius ęſtimantur. Inſuper & Rubinorum genera ſunt alia, comprimis illi, qui candidi coloris ſunt, & Adamantes æmulantur, de quibus paulò antè à nobis percenſitum eſt.

Rubini & ſaphyri vna maſſa.
Colorum varietatis quæ cauſa.
Rubini & ſaphyri vt connaſcantur.

Alij Roſei, nonnulli Ceraſij coloris ſunt, cum alba ſcilicet matureſcunt. Sunt etiam, qui ex dimidio candicant, ex dimidio rubent. Nonnulli ex parte vna rubini, ex altera ſaphyri videntur. Et vt vno verbo dicam, rubinorum ſortes innumeræ ſunt cognitæ. Cuius varietatis tantoperè diſcrepantis hæc cauſa cenſeri poteſt. Dum in rupibus aut montibus adhuc naſcuntur, coloris vniuerſi albentis ſunt. Vlterius excocti, vi ſolis tinguntur, dum ad completam maturationem perueniant. Perfecti ergò rubeſcunt rubinorum aut Tockes modo. Ante perfectionem hanc ſi intermedio tempore effodiantur, colorum quoque diuerſitatem merito oſtendunt. adeò vt quantum à vero Tockes ſeu rubore diſtent, tantum pretio viliore veneant. Qui ex Saphyro & rubino mixti ſunt, Indis *Nilcandi* dicuntur. Quod ideò euenit, quia vtrique ſimul & ſemel perſæpè in vno eodemque ſcopulo ſuam mineram habent, vnde vicinitatis ratione coadunati & coaleſcentes, poſtmodum hac mixta facie effodiuntur.

Saphyrus.

Rubini Perſis & Arabibus *Iacut*, Indis *Mamca* dicuntur. Saphyrus duorum generum eſt: Subcyaneus, & Cyaneus.

Hyacinthus. Granatus. Robaſſus.
Corgia quid?

Hyacinthi, Granati & Robaſſi ex genere quoque rubinorum ſunt, non magnopere æſtimati: quos Indi ob id luteos aut purpureos rubinos vocitant, prout coloris qualitate euariāt. Horum in Canonor, Calecut, & Cambaya tanta vbertas eſt, vt in omnibus fori angulis aliquam multis corgiis venum proſtent. Corgia verò quæuis 20. lapides continet, quam vno aut ad ſummum binis albis (albus verò octo nummis conſtat) integram vendunt. Horum quantam velis, copiam inuenies, ſed minorum tamen & ſortis vilioris. Saphyri & ipſi autem Rubinis viliores cenſentur: qui tamen ab his & Adamantibus locum dignitatis proximum tenent. Rubini, Saphyri, dictique alij lapides ex ſcopulis Adamantum more eruuntur: qui ex Calecut & Cambaia, terraque *Biſnagar* copioſi efferuntur: plurimi tamen ex Seylon Inſula aduehuntur, qui iuxta nobiliſſimi cenſentur. Quanquam & in Pegu regno magna frequentia fodiantur, qui cæteris lucidiores ſunt.

Smaragdi.

Smaragdos Indiani *Pache*, Arabes *Samarrut* nuncupant, quanquam in India nullibi reperiantur, niſi fors locis rariſſimis pauciſſimi. Illuc tamen ex *Cayro* & AEgypto importari ſolent, nihilominus Orientales vocari ſueti. Hi propter raritatem in India magni æſtimantur: quo etiam nonnunquam ex India Hiſpanica inferuntur, & porrò in Pegu prouinciam traiiciuntur, vbi magni pretij ſunt, adeò, vt Venetorum multi negotiatores, qui illatos Smaragdos cum Ru-

binis ibi permutarunt, opulentiam & quęſtum vberrimum fecerint. Smaragdi ſiquidem rubinis ibidem nobiliores cenſentur. Dictorum omnium lapidum ſuus in pharmacopoliis quoque vſus eſt.

Iaſpis aërizuſa ſeu Turcheſita.

Iaſpis aërizuſa frequens in Perſia foditur, vnde in Ormum Indiæ nõnunquam centenariis integris infertur, terra natiua perſæpè adhuc cohærente. Hi viliores in India & abiectiores habiti à paucis geſtantur. Copioſi quoque in Cambaia Iaſpides naſcuntur: ſed nec ibidem valdè æſtimantur. Ex illis patinas & pocula conficiunt. Color eorum viridis eſt, vt ſmaragdi.

Chryſolithus. Amethyſtus.

Chryſolithi & Amethyſti in Inſula Seylon, Cambaya & *Ballagatte* reperiuntur.

Alakecca.

Alakecca lapis idem eſt cum noſtro, qui à ſiſtendo ſanguinis profluxu nomen accepit. Lapides quoque alij ſunt, qui, quod lactis prouentum mulieribus

Galactites.

accurent, lactifici dicuntur ſeu Galactites. Horum omnium lapidum magna copia in *Cambaya & Ballagatte* eſt, qui Goam in commercia importantur. Ex quorum aliis orbiculos precarios, inſignia ſeu ſigilla, annulos & ſimiles res parant, plerunque magni æſtimatas. Quodlibet enim ex iſtiuſmodi lapide ſigillum

Alambre.

duobus tribuſue pardauis venit. In Cambaia quoque *Alambre* ſeu ſuccinum reperitur, ex quo annulos, orbiculos precarios, & alia ſimilia expoliũt, quorum

Olhos de Gatto ſeu oculus felis. Idem, quod Achates.

omnium vſus ibidem frequens & quotidianus. Lapis inſuper alius ibi vulgaris eſt, quem Luſitani *Olhos de Gattò*, id eſt, oculum felinum vocant; propterea quod cum eo & colore & facie conueniat. Nihil autem aliud quam *Achates* eſt. Affertur quidem bonus ex Cambaya: optimus verò ex Seylon & Pegu. Hic in Luſi-

Facultas huius.

taniam raro auehitur: quod maioris in India pretij ſit, quam in Luſitania. Somniant Indi, hunc vim & facultatẽ habere diuitias ſeruandi partas, ne quid illis decedat, quotidiè verò augeſcant.

Pedra de Ceuar.

Quem denique Luſitani lapidem *Pedra de Ceuar* appellant; in multis paſſim Indiæ locis inuenitur copioſiſſimè. De hoc Indi commemorant, ſi quis

Huius vis.

quotidiè cum cibis reliquis aliquid deuoret, quod iuuenili decore perpetuo floreat & vernet, nec vnquam faciem induat ſenilem & ſituoſam. Hinc factum, vt Reges & magnates Indorum, ollas, patinas & pocula ſua ex illo parari curarint, quibus cibos ſuos elixant, & vinum pro iuuentutis cuſtodia epotent.

Cap. XLIII.

DE LAPIDE BEZOAR, ET ALIIS *venenorum Antidotis.*

Bezoar quid?

LAPIS Bezoar ex Perſiæ prouincia Coraſſone, & nonnullis aliis Indiæ locis aduenit. In ventre ouis aut hirci cuiuſdam naſcitur, circa tenuiſſimam quandam paleam ſemper augeſcens, & multis veluti ex tunicis contextus. Exterius lapis æqualis & læuis eſt, obſcure viridis. Capri hi Perſis *pazan*, lapis ipſe *pazar* vocantur. Luſitani verò vocabulo corrupto hunc Baſar ſiue Bezar, Indi autem *Pedro de Bazar*, id eſt, lapidem fori indigetant. Bazar etenim Indica lingua Forum,

Vnde dicatur.

ſeu locum variis cibis vendendis deſtinatum, ſignificat. Vnde etiam viliſſima & minutiſſima pecunia, quam manualem aliàs dicere poſſemus, Baſarucos, id eſt, qualis in foro pro eduliis datur accipiturque, nuncupatur.

Lapis iſte pretioſiſſim⁹ eſt, & cõtra tum venena omnia, tum morbos alios grauiores medicina præſentiſſima. Valor aut taxa eius longè ſupra vnicornu eſt,

eſt, quod etiam efficaci facultate exuperat. Cuius rei experimenta à longo tempore ſunt certiſſima. Lapis iſte quo maior & grauior, eò nobilior, carior, & afficacior. In Luſitaniam frequens eius importatio eſt. Quibus in locis reperiatur, paulò ante dictum eſt. Inuenitur quin etiam in Inſula de *La vacas*, hoc eſt, Vaccina dicta, quæ in aditu fluuij non procul à littore Cambayæ ſita eſt, quo loco Luſitanica claſſis nouandi & ſarciendi commeatus cauſa plerunque applicat. Hîc Luſitani oues illas perſæpe obtruncant, vt lapides ex illis eruant.

Bezoar vnicornu pretioſior. *Bezoar quis optimus.* *Inſula La vacas.*

In *Pan* prouincia prope Malaccam lapis idem crebro quoque inuenitur. Sed & alius ex veſicula fellea porci cuiuſdam ibidem eximitur, quem Bezoartico contra venena & morbos venenatos multò præſtantiorem arbitrantur. Hunc Luſitani *Pedra de Puerco*, id eſt, lapidem porcinum indigetant. Hic in crebris eſt commerciis, coloris limpidè rubei, ſaporis amariuſculi, contactu ſaponem Gallicanum exhibens. Huius ſi quæ neceſſitas vſurpandi ſit, tum Cyatho aquæ iniicitur: quam nonnihil immoratus, certa amaritudine inficit. Eo deinde extracto, aqua bibitur. Bibita venenum ex omni corpore expellit mira efficacia: quæ eius virtus crebris & domeſticis experimentis iam vulgo notiſſima & confirmatiſſima eſt. Bezoar lapis eiuſdem cum aliis duritiei eſt, ſed minus tamen ponderoſus. Hunc virtute ſingulari herbarum illarum generari creditum eſt, quæ animalia illa depaſcuntur: ſicut ſuperius de Rhinocerote quoque oſtenſum eſt. Nam in nullis locis aliis iſtiuſmodi reperiri certum eſt, etſi animalia alibi ſpecie eadem nihilominus frequentia reperiantur.

Prouincia Pan. *Lapis porcinus, Bezoar nobilior.* *Vſus ratio.* *Vnde lapidum horum principium.*

In Vltabado ciuitate, quæ poſt Goam in Ballagatte ſita eſt, lapis reperitur alius, Arabibus Hagerarmini, Luſitanis pedra Armenia, quod in Armenia copioſe inueniatur, dictus. Hic Cyaneus eſt, & nonnihil ex iſto colore vireſcit. Hunc Indi in purgationibus & aliis remediis conficiendis ſolennem habent.

Hagerarmini lapis.

Præter hactenus nominatos & numeratos lapides, alii quoq; plures non ignobiliores, & tum contra venena, tum morbos vehemẽtes cæteros vtiliſſimi & efficaciſſimi ibidem naſcuntur. Cum tamen iidem non omnibus æque ac hi cogniti ſint, aut in commerciis tam frequentes, eorum deſcriptioni hic ex cauſa ſuperdendum duxi.

Excuſatio autoris.

Cap. XLIV.

BREVIS ET VTILIS INFORMATIO, qua arte Adamantes, Rubini, Smaragdi, vniones & gemmæ cæteræ, diſtingui & internoſci: adeoque quælibet pro ſuo genere graduque æſtimari cenſerique debeant.

Primò de Adamantibus.

SCIENDVM in principio eſt, Adamantem gemmarum omnium principem & Regem eſſe. Huius venditio pondere fit: inciſio verò ſeu elaboratio neceſſario pro eius craſſitie inſtituenda eſt, quam certam habet. Quam menſuram ſi excedit, nauci eſt. Si infrà eſt, aſpectu noſcitur. Nam pro natiua ſua hac craſſitie etiam iamdum annulo inſertus, quod pondus habeat, cenſeri poteſt. Nam ſolitarius ſeu liber alias ponderari ſolet. Ante hæc tempora vulgatum mercatoribus memoriale quoddam erat, quo cenſus, taxa ſeu valor gemmarum deſcripta

Adamas gemmarum Rex.

Quilaet pondus. erant, hoc nimirum pacto: *Quilaet* vnum tanti: duo tanti &c. Cumque illis temporibus commercia non tam frequentia eſſent, vt ſunt hodierno die: cuilibet empturo vendituroque ſuo ſecũ allato memoriali opus fuerat. Sed hæc de pretio ſaltem illorum lapidum intelligenda veniunt, qui ſynceri, probi, ſine næuo & vitio erant. Nam qui aut polluti, aut fracti, aut quocunuis alio modo mendoſi erant, hos propter vitij gradus, maiores minoreſué æſtimare maioris laboris & periculi videbatur.

Quæ cauſa ingentis pretij Adamantum. Multi tum principum, tum aliorum hominum paſſim ſciſcitari ſolent, quæ cauſa ſit, vt Adamantes præ omnibus aliis gemmis in tam ingenti pretio ſint aut vendantur. Sed huic interrogationi reſponſionis nulla alia ratio proſtat, quam quod ita primitus emi vendique ſoleant: cum proportioni gemmæ pretium perpetuò correſpondeat. Quæ enim cauſa eſt, quod Adamas, Quilaet vnum appendens, Ducatis 50. veneat, ſi purus & nõ ſit mendoſus: eadem præſtat, vt aliquoties maior alius 30000. aut 40000. ducatis iure vendatur, ſi nimirum iuſtam ſuam magnitudinem integritatemque poſſideat. Nam vel ab antiquiſſimis temporibus cenſus eorum priſtinus in perpetua durabilitate & vigore conſtanti apud Indos perſtitit, nec vllius vnquam illi nunc, quæ olim, veniiſſe ſciuntur.

Proportio Adamantis magnitudinis & pretij eadem. Iam porro, vt maior adamas æſtimari exquiſitius valeat, præſcire operæ pretium eſt, quod pretium Adamantis, Quilaet vnum appendentis, conſtitutum ſit. Nam de Rubinis, Smaragdis & gemmis cæteris idem iudicium, eadem lex eſt. Summa itaque ſi collecta ſit, deinde de vitiis næuiſque eius, ſi quæ ſunt, rationem ita apud te inibis, vt pro eorum quantitate, pretium quoque deminuas & præcidas, itáque perpetuò vnum cum altero aut addas aut ſubtrahas.

Sed vt & perfectionis integritatiſque lapidum ſingulorum ſcientiam habeas, huius exemplum in Adamante præfigurabimus, quod poſtmodum gemmis omnibus probè applicari poſſit: cum cæteræ ad hũc ceu regem referri merito debeant.

Perfecti Adamantis indicia. Qui omnibus numeris perfectus abſolutuſque adamas eſt, hunc ita laboratum eſſe oportet, vt binis lateralibus tabulis ſuperne tertia addita ſit: & vt tres tabulæ in infima gemmæ ſede, tabulam vnam ſuperius oppoſitam conſtituant, quas omnes iuſta profunditatis proportione ſibi mutuô correſpondere fas eſt. Harum angulos omnes integros, acutos, æquales, pellucidos & tranſparentes eſſe oportet, vt color nulla verſionis parte euariet, aut pelluciditas claritáſue obſcuritate taminetur. Hanc ſummam perfectionem adeptus adamas, ſi

Quilaet quale pondus. Quilaet vnum (quilaet vero 4. grana habet) apponderet, 50. ducatos iure merito valet. Sed cum ſummè perfecti rari inueniantur, paucique illos pernoſcant, Quilaet vnum adamantis, vulgaris aut mediocris perfectionis 40. Ducatis æſtimabimus. Hoc iam ſi ſciueris, tum maioris quoque ponderis pretium apud te facilè inueneris. Porro autem, ſi adamantis pondus præciſè à venditore expiſcari non poteris, diligenti & longa aſpectus trutinatione apud te accuratè id expendes, ſemper agẽdo hoc, vt in defectu potius, quam exceſſu æſtimationem facias. Sic etenim fiet, vt in emptionis damnum non deuenias. Hoc pacto ſi pretium ipſius gemmæ elicueris, tum illud cum vitio, qualecũque habet, induſtrius confer. Quô næuus grandior, eò pretium maius deme. Sin leuior, ſubtrahe minus. Sic cenſione iuſta vtrobique præmiſſa, ſecurior contractum firmabis. Accidit nonnunquam, vt ponderis quoque minutiæ aliquot concurrant. Has tamen pro primo vnius Quilaet conſtituto pretio facilè elicies. Potuiſſent hæc omnia quidem exemplis aliquot diſcretis, & exactius redactis huic loco ſubnecti. Sed cum lectoris tædium ſtudioſe euitandum putemus, & numeratio hæc vel puc-

vel pueris leuiter ſaltem arithmeticæ principiis imbutis expedita & percognita ſit, hæc hoc loco omittemus.

Cap. XLV.

DE RVBINIS.

AESTIMATIO Rubini talis eſt. Tabulatim elaboratus, ita vt cum Adamante conſiſtere poſſit, ille idem pondus & totidem Quilaet, & cum Adamante eundem coloris ſtatum gradumq; habere debet. Quod ſi ergò tum in perfectione, tum colore 24. Quilaet habet, ſicut aurum 24. Quilaet: tum de eius bonitate & perfectione minimè dubitandum eſt. Rubini interim pondere nō venduntur, cum certam craſſitiem ſemper non obtineāt. Quidam ſiquidem eundem dedita opera tenuiorem efformant, vt ſubditum folium luculentius tranſplendeat. Videndum tamen, ne ſumma hæc tenuitas lapidi damnoſa ſit. *Rubinorum cenſura.*

Qui Rubinus tum colore, tum puritate, tum craſſitie, tum elaboratione & forma perfectus exiſtit, iſte 100. Ducatis iure æſtimari poteſt. Perfectiſſimi tamen raro deprehenduntur: ſed maxima eorum pars næuo aliquo latente, nec cuiuis ſpectatorum obuio laborare ſolet: qui aciem quoq; peritiorum nonnunquam effugit. Rubinum itaque præſtituemus, qui ad aſpectum ſeu cenſuram communem perfectus ſit, vt is 70. Ducatos valeat: de hoc æſtimationem ad reliquos dein extendemus. *Quis rubini perfecti valor.* *Exemplum.*

Rogatus de rubino Gemmarius, ſi illum quidem in præſenti promptum non habeat, reſpondeat autem, tantæ ipſum molis aut quantitatis eſſe, vt æquis Quilaet cum Adamante conferri poſſit, cum quo totidem quoque in colore Quilaet certet: tum rogans his ex indiciis abundè ſatis cognouit, quem rubinus colorem aut magnitudinem habeat. Ergò ſi rubinum quendam vel politum vel impolitum habeas, quem, quid valiturus ſit, æſtimare voles: ſic apud te ſupputabis aut ratiocinaberis: Si rubinus quis proſtaret, qui non melior eſſet, quam vt cum Adamante vnius Quialet certaret, haberet inſuper tantundem coloris, puritatis, qualitatis, & magnitudinis; nec plus, quo ad reſpectum næui: quantus nam eius valor futurus ſit? Probe ergò omnibus diſpectis, & tum qualitate, tum bonitate, tum vitiiſque defectibusque expenſis, quid ex his de pretio demi aut ſecedere oporteat, ipſum inſuper approbè examinaris, quid valiturus eſſet, ſi cum Adamante vnius Quilaet conferri poſſet: tum cenſuram hanc menti fideliter infige, & qua mole ſeu magnitudine rubinus ſit, accuratè trutina, ſicut non minus, qualenam pondus Adamantis ſit, cui æquiparari queat cum omni ſua altitudine, num itidem ille crudus & impolitus adhuc ſit: tandem & hoc obiter augurare, quantum ex politura ſubſtantiæ ipſi deceſſurum ſit, & cuius is molis futurus ſit, iam dum completè formatus perfectuſque: tum poſt hæc omnia pondus duplicabis, & cum inuento pondere illo, quid nimirum valiturus ſit, ſi Quilaet vnum appenderet, multiplicabis. Ex hoc quod redibit aut emerget, pretium Rubini tibi certiſſimū deſignabit. Et vt vno aut altero verbo reſumā, ſi ſemel deprehendiſti, quod pondus Adamantis habeat: tum eum Adamantem eſſe imaginare tibi: & tum quod de pondere procedit, cum pretio Adamantis vnius Quilaet ſolum multiplica.

Rubini verò qui non politi ſunt, & in tabulas efformari nequeunt (hoc eſt, ſi cum maiore commodo impoliti relinquantur, quam polituram ſubeant) hi ad pretium Adamantis æſtimari debent, cui conferri queant. Nam & profunditas

ditas & altitudo lapidis cenſenda eſt, vt & ipſius color, & prauitas bonitaſúe, ſicut hæc crebrò coincidunt: & tum ratio ſubducenda, ſicut de tabulatis politiſque rubinis & Adamantibus prædiximus.

De rubinorum aut adamantum, non tabulatim formatorum æſtimatione.

Sunt prætereà etiam Rubini & Adamantes aliqui; qui tabularum nullam in ſe diſpoſitionem; verum aliam quandam pro clinodiis dignitatem habent: vt ſunt nimirum triangulares, & qui cordis aut aliarum rerum formam habent, qui hac ſpecie expreſſi fuerunt, vt in elidendis næuis minus ſubſtantiæ detereretur, & ipſi tum pondus, tum magnitudinem quam poſſent maximam retinerent. Horum etſi quis in ſuo genere perfectus ſit, non tamen eiuſdem cum tabulis dignitatis cenſeri poteſt, cum in profunditate craſſitiem plerunque maiorem habeant, qua pondus augetur. Quod tamen ipſum pretium adeò non auget, vt inſuper illi non leuiter officiat & incommodet. In fundo vero ſi nulla crepatura notetur, & inſuper gemma non craſſiuſcula, tum etiam ſuperficietenus per omnia perfecta ſit: tunc eiuſdem cum tabula craſſiore pretij eſt, quod Ducatuum eſt 46. ſi Quilaet vnum apponderet. Horum ſi quem ſub manibus habeas, æquo modo in cenſendo illo procedes cum reliquis, vt nimirum prius attendas, quid valiturus ſit, ſi Quilaet vnum ponderet: & ſummam deinde dicto modo elicies.

Cap. XLVI.

DE ORIENTALIBVS ET ANTIquis ſmaragdis, non ex Hiſpanicæ Indiæ Inſulis allatis. Nam illi, an puri & genuini ſint, nondum accuratè exploratum eſt.

Dignitas ſmaragdi per omnia perfecti.

GEMMARII veteres vno ore conſtanter affirmant, ſmaragdum omnibus ſuis partibus, vt colore, luce, forma & craſſitie aut denſitate perfectum repertum, trium Adamantum pretium æquare: quod ex noſtra ſupputatione 120. Ducatos conſtitueret. Cui & ego ſententiæ, ſuffragio dato, aſtipulor: cum ad hunc vſque diem inuentus nullus ſit vel maior, vel minor, qui illius perfectionis notas vnquam attulerit. Qui coloris quidem & formæ perfectionem habuerint, inuenti quidem crebro ſunt. Verum luce & puritate nuſquam. Nam perpetuo quandam in ſe pinguedinem continent, virenti herbæ aut aliis rebus ſimilem.

Conſtituamus itaque, aſpectus perfectionis vulgaris Smaragdum, ſi eius molis ſit, vt cum Adamante vnius Quilaet conferri poſſit, 80. Ducatos valere. Etſi enim ſemper herbacei quid eluceat: eius tamen ſi non ſit nimium, nihilominus perfectus cenſetur, modo requiſita cætera oſtendat.

Smaragdorum taxandorum quæ ineunda ratio.

Iam ergo, ſi Smaragdum vel vnum vel plures, tabulatos vel impolitos æſtimaturus ſis: vt primum magnitudinem attendas, fas eſt: deinde ponderis quantitatem addes, cui nimirum Adamantis ponderi ſimilis eſſe queat. Poſteà oculos ad bonitatem aut vitia eius aduerte, & diligenter expende, quid Smaragdus eiuſmodi valiturus ſit, ſi non maior foret, quam Adamas vnius Quilaet. Hoc iam probè ponderato, rationem priorem, cum rubinis initam, conſtitues: ita nimirum, vt pondus adamantis, cum quo ſmaragdus collatus eſt, ſumas, & idem bis multiplices. Hoc facto quod rediturum eſt, cum pretio ſuprà æſtimati Quilaet, iterum multiplica: & hic pretium præſumpti ſmaragdi emerget. Hac ratione in æſtimandis omnibus ſmaragdis procedes, ſeu illi magni aut parui;

boni

boni aut praui ſint,modo ad vitia diligenter attendere, & bonitatem à malignitate induſtriè diſcernere poſſis; quæ poſtmodum ſingulorum conditioni applices. Si verò Quilaet aliquando dimidij, aut grana ſolitaria in Adamantis, cum quo ſmaragdũ collaturus es, pondere ſuperſint, tum quoque rationes tuas ad Quilaet medios & grana conferes, ſicut de Rubinis commemoratum eſt.

Gemmam ergò qualemcunque æſtimaturus, neceſſario & accuratè attendes, ſi Adamas is ſit, qua luce & forma valeat, an æquam profunditatem habeat, vel minus, aut purus ſit, nec ne, an defectum quenquam vel ex angulis vel elaboratione oſtendat, & quantum pretij id damnum in perfectionis cenſura deroget: ne poſtmodum fortaſſe in emptionis decreto fallaris, quid nimirum valiturus ſit, ſi Quilaet vnum appenderet: ſicut huc omnem ſupputationem referendam eſſe, ſuperius diximus. *Quid in genere in omni cenſura gemmarum aduertendum ſit.*

In rubino conſidera, quam grandis ſit, & quodnam Adamantis pondus habeat. Et licet in hoc conueniant, Rubinum tamen ſemper inferiorem ſtatue, vt à damno emptionis ſecurior ſis. Colorem illius quoque probè diſpice, num Caſſedoniam aliquam contineat, aut impurus ſit, aut tenuis, aut alio quouis vitio laboret, & hoc, quantum pretij derogare queat in cenſura adamantis, cui confertur, perfecti. Nam in horum vno ſi labaris, in cæteris quoque vniuerſis fallaris neceſſe eſt, ſi ſubducturus ſis, quantum valeat, Adamantem Quilaet vnius æquiparans.

Quæ de Rubinis iam retuli, de Smaragdis quoque Orientalibus obſeruanda veniunt, rationis eadem via obſeruata, nec in quoquam vel minimo mutata.

Lapidum rubeorum quoque genus aliud eſt, quos ſpinellos vocant: quorum ſuæ quoque diſcretæ ſpecies reperiuntur. Illorum aliqui pro ſuo genere euſque perfectionis aſcendunt, vt cum rubinis haud iniquè conferri queant. Quod de ſpinellis tantum intelligendum ſelectiſſimis eſt: cũ eorum aliud quoque genus, *eſpinella de rouca nueua*, id eſt, de rupe noua appellitentur, quorum aliqui colore Robaſſos referunt, alij Hyacinthos exprimunt. Nec vel dum penitus decretum eſt, an ſpinelli veri ſint, nec ne. Gemmarij quidem peritiores eos ſpinellos eſſe minimè arbitrantur, ſed meros Robaſſos & Hyacinthos, tam probos verò & præſtantes, vt pro ſpinellis veris haberi queant. Quod ita prætendere tamen videntur, vt eos carius vendere poſſint. Qua cauſa etiã ſpinellorum forma eoſdem elaborant. *De ſpinellis.*

Spinelli hi quidem politi ſpinelli ſunt, colore tamen verius Robaſſi & Hyacinthi exiſtimantur. Licet Rubini haud pauci quoque ſint, qui, ſi ſplendorem laudatum aſſequi velint, ſpinellorum politura laborandi veniant. Iam ſi ſpinellus eſſet ex rupe veteri promptus, qui & de genere ſuo & cæteris qualitatibus approbus videretur, & in perfectam tabulam efformari poſſet, adeò, vt vnius Quilaet adamanti cõcurreret: tum meritò ille 40. Ducatorum pretium vendicaret. De vitioſo verò ſuperius dicta via progredi oporteret. *Cenſura.*

Ballayſi ſeu *Balaſi* pondere & ipſi vendi ſolent. Sed in agendis rationibus non ea via tenenda eſt, quam in rubinis & Adamantibus præſtituimus, ſed ſimpliciter ex pondere procedendum eſt hoc pacto. *Ballayſus* omnium optimus, Quilaet vnum pendens 10. Ducatorum eſt. Colore is tamen aut aliis perfectionis notis priuus, pro damni gradu prius cẽſendus eſt. Perfecti verò, vt diximus, Quilaet vnum 10. Ducatos valet. Duo, 20. Tria, 30. & ſic porrò pro mole & pondere ſuo. Hæc illius cenſuræ ratio. *De Ballayſis.*

Cap. XLVII.

DE VNIONIBVS ORIENTAlibus, ſeu margaritis.

Margaritæ quæ optimæ.

MARGARITÆ Orientales illis nobiliores ſunt, quæ ex India Hiſpanica efferuntur. Quam prærogatiuam in contractibus etiam præferunt: cum & carius veneant, & multò intentiores ſint. Illi contrà obſcúriores & triſtiores ſunt in genere omnes. Nam licet & harum quædam illuſtres & nitidæ ita reperiantur, vt ex India Luſitanica allatis candore nihil cedant, pauciores tamen illatum ſunt, quam vt hanc laudem iis præripere debeant. Ergo vt noſtra ratio expeditior ſit, in cenſuram ſaltem præſtantiſſimas & nobiliſſimas iam vocabimus.

Nobiliſſimæ la quis va-

Tum luce, tum candore nitoréue, tum notis cæteris omnibus abſoluta margarita, quæ inſuper artificioſè polita ſineque rugis exactè rotunda eſt, ſi Quilaet vnum appendit, ducatum vnum valeat. Vitioſa verò, aut obſcura, aut quouis modo corrupta, pro damni qualitate pretium ſuum violat. Exterius ergo optima vndiquâque diſpecta, ponderi nuncupanda eſt, & id attendendum, ſicut in Adamantibus, Rubinis & Smaragdis factum eſt. Quod ſi verò plures vno filo inſertæ ſint, tum ſi priuatim ſingulę inſpectari non poſſint, maiorum tamen & pręcipuarum pluriumque inſpectio ſuſcipienda eſt, vt pauciorum minorumque defectus, cæterarum melioritate ſaltem nonnihil penſetur.

Peroratio autoris.

Et hæc de æſtimatione gemmarum & perlarum Orientalium à nobis hactenus dicta ſufficiant: in eorum nimirum gratiā dicta, qui hiſce edocendis delectantur, & hoc ſibi q. memoriale quoddam aſſumturi ſunt. Cæteri, qui his & ſibi diffidentes, adhuc dolum fucumque metuunt, hi peritiores rerum gemmarios vberius conſulant & explorent. Nam pleroſque hac noſtra inſtructione ſatis informatos eſſe arbitrati ſumus, ne aſſiduè ab aliorum ſententiis pendere, & illorum inſtituentium commodis ſatisfacere cogerentur.

BREVIS

BREVIS ENARRATIO EORVM ANIMALIVM, FRVCTVVM, ARBORVMQVE, QVÆ IN diuerſis Indiæ locis, comprimis verò in Iaua Inſula ſunt & inueniuntur.

Cap. I.

DE PECORIBVS ET FRVCTIbus, ad fluuium Puerto de Sanct. Auguſtin, in Inſula Madagaſcar ſeu Laurentij inuentis.

BOVES illic pulcherrimi ſunt, Hiſpanicis non inferiores, niſi quod dorſo gibbum, ex mera pinguedine enatum geſtent. Oues proceræ & præpingues ſunt, quarum caudæ perſæpè craſſitiem 22. aut. 23. pollicum habent. Capræ, hircique læti & adipoſi viſuntur. Incolæ loci eandem ferè vitam cum veteris teſtamenti patriarchis, aut Africæ Numadibus, aut Aſiæ Tartaris viuunt. Pecudes ſuas de loco in locum pro tēporis & paſcuorum ratione agunt. Qua cauſa etiam ſub vilibus caſis habitant, quæ humiles ſupernè arborum ramis tranſuerſis integuntur, & à ſe inuicem longius erectæ abſiſtunt. *Boues.* *Oues.* *Capræ.*

Fructus, quo viuunt, Tamarindi ſunt; qui formam fabarum noſtrarum maiuſcularum virentium habent. Hi in elatis arboribus enaſcuntur, primò virides, deinde maturitatis tempore cinerei coloris exiſtentes, quorum cortex durus, fructus verò interna pulpa purpurea eſt, reſiccatorum prunorum ſaporem exhibens, intusque 3. vel 4. fabas recondens. *Tamarindi.*

Tamarindi hepar & renes apprimè refrigerant. Per noctē aqua macerati, quæ manè potetur, leniter aluum mouent laxantque. Præter Tamarindos alias quoque duorum triumue generum fabas naſcentes habent: vt & cucurbitas & Calabaras. Mel ex ſyluarum arboribus colligunt, quæ innumeris auibus cultiſſimæ ſunt. Herbam quin etiam natiuam habent, ex qua Anil conficiunt. Ea in deſertis citra omnem plantationem ſponte prouenit. Lanas tincturi, herbæ huius tantam molem colligunt, quæ tincturæ ſufficiat. Anil hi nullum ollis condiunt conduntue, quod venum efferant: cum commercia ſua extra ſolum natiuum minimè extendant. *Fabæ aliæ & Cucurbitæ.* *Mel.* *Herba Anil ſeu Enger.*

Herbam vero iſtam *Enger* nuncupāt, cuius folia roriſmarinum referunt. Frutex ipſe tamen humilior eſt, & per terræ planum Thymi inſtar ſpargitur. Sed & arborū peculiaria illis genera ſunt, ex quibus rubrum, nigrum, flauum, & purpureum colorem extrahunt. *Arbores pigmētiferæ.*

Cap. II.

DE VOLVCRIBVS ET PISCIBVS nonnullis, ad Inſulas Maldiuar apparere ſolitis.

Garayas aues. Rabos Forcados

APVD has Inſulas frequentes aues quædam conſpiciuntur, quæ grandiores *Gauias* æmulantur, ab incolis *Garayas* dictę.

Rabos Forcados, ſunt aues atræ & variegatæ non ſecus ac picæ noſtrates. Hæ caudas tenues longaſque forficis more diductas habent, quas volitantes diducunt contrahuntque. Cætera noſtratibus niſis ſimiles ſunt.

Columba forficis caudam habentes.

Præter has aliæ ibidem quoque aues totæ candentes repeṙiuntur, columbis domeſticis ſimiles, niſi quod caudam tenuem & gracilem longius promittant.

Genus iterum aliud viſitur, anatibus iunioribus ſimile, ſed corpore tamen & plumis variatum.

Piſces volantes miſerrimi. Piſces Dorados, Bonitos, Albocores.

Omnes hæ aues ex ſalſa vnda cibos ſuos venantur: quem præcipuum captant ex volantium piſcium genere quodam, qui halecis magnitudine ſunt, & pinnas promiſſiores, interdum binas, nõnunquam quaternas habent, quarum ope ex vnda ſeſe in aërem attollunt, quoties à piſcibus, Dorados, Bonitos, Albocores dictis, qui illis hoſtiliſſimè inſidiantur, impetuntur. Nam, ſi aliquandiu piſces hi volantes in aëre ſeſe vibrarunt, tum reſiccatis alis, & madore ſuo priuatis, in vndas neceſſariò deuoluuntur, quos illapſos tunc illico marini dicti piſces tam diu pernici inſectatione venãtur, vt madefactis alis ſalutis gratia in aërem ſe iterum efferre cogantur. Quam primum verò aërem dicto modo occupant, à parte illico alia, nimirum à ſupra memoratis auibus, de nouo lancinantur & fatigantur, adeò, vt mutuis iſtis inſectationibus illorum plurimi occumbant, & hoſtium præda vorentur. Horum piſcium aliquam multi, cum vtrinque tum à piſcibus, tum auibus aliquando infeſtarentur, præteruolantem nauem noſtram conſpicati ad eam prouolarunt, in quam & multi deciderunt, cum & alæ illorum iam dum nimis reſiccatæ eſſent, & ipſi ex longa agitatione elanguiſſent. A nautis ergò capti & guſtati, ſaporis ſuauiſſimi & iucundiſſimi inuenti ſunt. Eodem modo & Garayes aues ſe habuerunt. Nam cum ſupra nauem noſtram quieturæ conſediſſent, manibus nautarum præhenſæ ſunt, adeò nullo hominum timote tenentur, vt quos raro videant.

Bonitos quales.

Bonitos, hoc eſt, Boni piſces, guſtatus haud inſuauis ſunt, Carpionum noſtrorum ſimiles, iis tamen craſſiores. Hi quam proximè coniuncti aut conſtipati tanto numero naues conſectantur, vt ſpectantibus id admirationi ſit. Itaque vncis noſtris eiectis eorum aliquos captauimus: in quibus diſſecandis, perſæpè vnius in ventre 10. vel 12. piſces volantes obſeruauimus, tanta voracitate eos inſectantur.

Albocores quales.

Albocores, id eſt, piſces albi, cute candida ſunt, ſed ſquamis vt, Bonitos, tamen carente, quæ glabra valdè & leuis eſt, venter eorum adeo niridus & candidus eſt, vt vel de longinquo è mari reſplendeant. Hi bonitos per omnia ferè referunt, niſi quod paulo illis maiores & grandiores exiſtant, cum longitudinem interdum quinorum pedum, & viri craſſitudinem habeant: ita vt nos vno eorum. 60. viros, qui in naui erant, ſaturaremus. Piſcis hoc genus ſiccum & duriuſculum eſt, nec præter vnam dorſo exporrectam ſpinam habet.

Dorado quales.

Dorado, quod eſt, aurei coloris, à Luſitanis id nomen accepit, quod ſub a-

quis

quis talis appareat. Hic ſalmonum ferè formam habet, & ab Anglis Delphin nuncupatur. Hunc pernicitate cæteros omnes piſces vincere, narrant. Cuius fidem facilè impetrant. Hoc de meo hic additum velim, piſcem hoc meliorem quoque nullibi facilè alium reperiri poſſe, cum tum in dulcibus, tum ſalſis aquis enutritos cæteros omnes ſaporis ſuauitate præcedat longiſſimè. A capite per omne dorſum ad caudam vſque ſquamis multis veſtitus eſt.

Turſiones ſeu phocænæ, ſunt piſces phoenicei, quos Luſitani *Toninas*, Galli *Marſouins* appellant. Hi duobus generibus continentur. Eorum quidam acuto roſtro porcorum more ſunt, vnde nonnullibi porci marini quoque vocantur. Alteri lato & plano ore ſunt, quale eſt caput Balænarum. Qui cum inſtar monachorum cucullati appareant, ob id monachi marini indigetantur. Longitudinem plerunque pedum 5. vel 6. habent. Cauda eorum lata & diuiſa eſt, quam cæterorum piſcium longè forma diuerſa, ſicut & ipſæ balænæ alias à cæterorum piſcium conſtitutione longè euariant. Phocænæ læui & glabra cute ſunt. Si diſſecantur, carnem ſuillæ per omnia ſimilem habere notantur, vt lardum, carnem propriam, hepar, & viſcera reliqua omnia. Imo quod veritatem auget, ſuum ſeu ſcropharum more quoque & concipiunt & generant. Cum enim quodam tempore illorum vnum cæpiſſemus, in diſſecti eius vtero q. porcellos aliquot obſeruauimus: quem ob id eſui ineptum in mare rurſus exturbauimus. Piſces hi gregatim ſemper in mari oberrant, & quoties fremere mare occipit, tanta multitudine illi ad naues annatant, vt omnis vnda viridis videatur. Suum more etiam grunniunt. Hoc tamen ſpectaculum nautis certo futuræ breui tempeſtatis indicio eſt: quæ plerunque etiam eo loco, vnde piſces venere, exurgere ſolet. *Phocænæ duplices.* *Porci marini.* *Monachi marini.*

Hayen Luſitanis *Tubarons*, Gallis *Requiens* dicti, plerunque tranquilla aut ſerena tempeſtate apparent. Nam ad natandum valdè ignaui & tardi ſunt. Hi ipſi quoque cute glabra ſunt: quibus plerunque ſeptem vel octo piſciculi, *Suygers* dicti, haleciſque magnitudinem habentes connatant. Horum cuticula crebris rugis aſpera eſt, quibus *Hayen* piſci ſe applicant. Qui ſi quid obuij captauit, tum & ſe prædæ ſocios faciunt, & de illa vnà rodunt, Hayen os tum ingredientes tum egredientes citra omnem noxam ſuam. Nautæ, qui ex cauſa quapiam in mari natant, hunc valdè ſtudioſe cauent obſeruantque. Nam crebro euenit, vt ab illis prehenſi, in fundum abripiantur. Eſus horum piſcium valdè ingratus eſt, nec vnquam, niſi animi oblectandi gratia à nautis captantur. Illis etenim nonnunquam oculos elidunt: interdum de caudis eorum trabes aut ligna reuinciunt, itáque ligatos in mare rurſus eiiciunt: vnde doloris haud parum experiuntur. *Hayen.* *Nautarum in vexando Hayen ludicrum.*

Peſce Puerco, ita à Luſitanis dictus, Cyprinum magnitudine exæquat, & porcorum more grunnitum edit. *Peſce puerco.*

Teſtudines quoque marinæ ſunt, quæ dormientes plerunque natitant. Nam piſcis id genus valdè ſomnolentum eſt. Hæ grandes, & eſui admodum ſuaues ſunt, carnis vitulinæ ſaporem reddentes. Hoc plerunque illæ modo capiuntur. Solis ardore ſi teſta ſuperior incaluit, tum ſe inuertentes dorſum demittunt, & ventrem porrigunt. Id obſeruantes nautæ, hamum intra vtramque teſtam impingunt, & ita ſuis ſcaphis attrahunt. Plerunque iuxta inſulas *de Cabo Verde* inueniuntur. *Teſtudines.* *Modus eas capiendi.*

Balænæ & ipſæ magno grege, ſicut Toninas, mare oberrant, quamuis curſu negligentiore. Piſces verò inſectaturæ, ſuũ curſum accelerant, quod iucundo equidem ſpectaculo ſæpius obſeruaui. Cetis paulò minores ſunt, nec ex capitis cauernis, vt illi, copioſam vndam egurgitant. *Balænæ.*

Cap. III.

DE FRVCTIBVS QVIBVSDAM in Sumatra Inſula naſcentibus.

Cocos genera. 1. Indico nucifera. COCOS ſeu palmæ Indicæ quatuor generum ſunt. Prima illa eſt, quæ nuces Indicas profert: quæ arbor omnium vtiliſſima & commodiſſima eſt toto orbe naſcentium: ex qua Indi vniuerſi omnem ſuum victum quærunt. *Huius ſumma dignitas.* Nam & oleum promit, & vinũ dat, & lac fundit, & ſaccharũ miniſtrat, & acetum largitur. Quin etiam nucis putamina patinis faciendis apta ſunt, ex quibus cibi capiantur. Lignum fabricandis nauibus idoneum eſt. Ex cortice omnifarij funes torquentur. Folia tegendis tuguriis ſeruiunt. Ita vt nihil in omni arbore ſit, quod vſibus humanis neceſſariis non impendi queat. Quin imò & radices exuruntur, ad focos aurifabrorum fouendos, quorum opificio valdè commodos carbones præbent.

2. Arrecquero. Altera Luſitanis *Arrecquero* dicitur, de qua alio loco agitur. Tertia Dactylifera *Tamar* eſt, cuius vberrima in Barbaria & parua Gerbi Inſula propago obſeruatur. *3. Tamar.*

4. Lantor. Quarta, Malaycè *Lantor* dicta, fructum fert puſillum, ceraſi magnitudine, colorem aurantiorum æmulantem, qui nucleum intus *Carros* dictum continet. *Fructus. Oleum.* Ex hoc fructu pulcherrimum oleum elicitur, aurantiorum colorem referens, quod aſſuetis valdè ſuaue & ſalutare eſt. Hoc arboris genus ſuperioris primi fœminam eſſe multis perſuaſum eſt: quod vtrumque quoque in Guinea naſcitur.

Papyrus Indica. De poſteriore hac arbore Indi papyrum ſuam quærũt, qua ad libros compingendos vtuntur. Nam etſi vniuerſa hæc quatuor genera folia peræquè ſimilia producant, quæ foliis arundinis cuiuſdam ex Iudæa & Paleſtina ſeu Soria, paria huc efferuntur: poſtremi tamen huius generis folia ad exarandas litteras aptiora & commodiora fiunt. Qua cauſa cæteris quoque præferri ſolent.

Vannanas, ſeu Ficus Indica. *Vannanas* ſeu Ficus Indica commeatum Indis vberrimum ſuppeditat: cuius fructus ſuauiſſimus quidem, non tamen ventriculo per omnia gratus ſeu ferendus, Malaycè *Pican* dicitur. Hic non in omni ſolum Orientali India, ſed in vniuerſis quoque cæteris regionibus, intra vtroſque tropicos ſitis, communis & frequens eſt. Optimus tamen in S. Laurentij Inſula naſcitur. Hic cum crudus, tum coctus eſitatur. Nondum plenè maturus quoque reſiccatur, & alio negotiationibus diſtrahitur. Toto anno ab arbore ſua profertur: quarũ arborum tamen ſingulæ ſingulos fructus edunt. Quo reſecto, ſurculi recentes prodeunt, ex quibus menſtruo ſpatio fructus nouus enaſcitur. Arbor ipſa arundinis inſtar mollis & medulloſa eſt, adeò vt vno cultri adactu tota recidi queat. Folia plerunque trium cubitorum aut viri ſtantis longitudinem habent, & ternorum pedum latitudinem.

Piper nigrum. Ibidem & nigrum piper rotundum ex elongata arundine naſcens conſpeximus, quam Luſitani Bambu, Malayi verò Mambu vocant. Ex hac *Tabaxir* quoque enaſcitur, in Perſia auro appendi ſolens. Piper verò ad arundines dictas non ſecus ac in Belgio aliiſue locis lupulus creſcit. Frutex etenim eius multo tenerior & infirmior eſt, quam vt ſine adiuncto ſtipite ſeu fulcro erigi poſſit. Hac itaque de cauſa iuxta arundinem hanc ſeritur. Surculi illius Iuniperinis ſimiles ſunt. Grana primò viridia, maturitate deinde dureſcunt & nigreſcunt. Creſcit
Natales piperis. piper potiſſimum in Malauar, *Onor*, *Barſelor*, *Mangalor*, *Calecut*, *Cranganor*, *Cochin*,

Coulan

Coulan, vbi Malauarica lingua *Molonga* nominatur. In *Queda* quoque iuxta Malaccam prouenit, & Malaiicè *Lada* dicitur. Hoc genus omnium maximè in Pegu & Septentrionales regiones deuehitur. Porrò etiam creſcit in *Pedir*, *Camper*, *Andragiri*, *Iambe Bares*, *Speriamon*, *Dampin*, quæ loca Sumatræ ſubiacent: nec minus & in *Iaua ad Bantam*, & ad occidentale Iauæ latus in *Anier*, *Chuconin*, *Molaſſery*, *Changabaya*, *Cherola*, *Charita*, *Cheregin*, *Labuau*, *Buama*, *Iſſebongor*, *Pariban*, & alio quodam loco à Bantam verſus ortum 4. milliaribus diſtante, *Punctan* dicto. Piper in *Iaua Sahang* nominatur, quod omne ferè in Chinam abducitur.

Crocus Indicus.

Crocus Indicus, ita Latinè dictus, Malaiicè *Cunhet* & Luſitanice *Caffran da Terra*, intus ex nodo flauet, qui facilè rumpitur. Huius planta *Lis* ſimilis eſt, lilio albo conſpicua, valdè aquoſa: quam ſi guſtes, primò quidem nullum ſaporem diſcernes aut facultatem: paulò poſt tamen acrimonia os rodetur, & q. exuretur. In S. Laurentij Inſula huius fructus magnam copiam colligebamus, quam in pagum quendam, ad Inſulæ occidentem ſitum, deuehebamus. Alias in Iaua quoque & Indiæ locis aliis reperitur.

Cap. IV.

DE QVIBVSDAM IN INSVLA IAua animalibus animaduerſis.

Elephanti.

IN Iaua Elephanti omnino cicures reperiuntur, qui omnifariis laboribus ſubeundis adhibentur & elocantur.

Rhinocerotes.

Si incolis fides danda eſt, Rhinocerotes ibi quoque inueniuntur. Nam ibidem illorum cornua è naſo reuulſa vendunt, quæ cum omnibus aliis, Rhinocerotis quæ ſunt, contra venenorum vim valdè efficacia produntur.

Cerui innumeri.

Ceruorum in Iaua magni greges: qui tamen propter ſyluarum denſitatem haud facilè capiuntur, niſi forſan ſclopetis transfigantur, quibus Iauani vti nequeunt. Vnde fit, vt hoc animal continua ſui propagatione tantoperè multiplicetur, vt ingentibus gregibus à viatoribus paſſim oberrare videantur.

Tauri. Bubali. Apri. Boues. Oues. Capræ. Cercopitheci. Viuerræ. Pauones ſylu. Pſittaci. Eeme.

Tauri ſylueſtres, bubali, & apri, itidem frequentes ibi ſunt: nec minus boues, & cicures bubali, quorum lac cibis adhibent. Nec oues capræque deſunt. Cercopithecis, viuerriſque omnes paſſim arbores incoluntur, qui prætereuntes geſticulatiunculis & ſuſſultibus ſuis variis modis oblectant.

Pauonum quoque ſylueſtrium ibidem proba copia eſt. Nulla tamen cicurum. Pſittacis, & infinitis aliis auibus, omnia plena ſunt, nec laſciuorum paſſerculorum quiſquam defectus eſt. Aliæ quædam aues prægrandes ſunt, roſtra recurua habentes, elingues. Hæ obuia omnia, vt poma, oua & ſimilia alia integra deuorant. Quæ dein, vt ingeſta ſunt, ſic iterum egeruntur. Harum vnam viuam Amſtelredamum in Hollandiam nobiſcum attulimus. In flumine quodam Iauano Crocodili plurimi degunt, qui lauantes homines deripiunt. Vnde id flumen pleriſque terrorieſt. Chinenſes crocodilos captos manſuefaciunt ita, vt porro neminem infeſtent, lædantque. Quinimo eoſdem ſaginatos mactant, vorantque, quem cibum valdè ſuauem & delicatum prædicant.

Crocodili cicures etiam.

Teſtudines marinæ.

Ad littora Iauæ & Orientales Indiæ Inſulas teſtudinum magna copia, quæ captæ eduntur, ſaporem carnis vitulinæ fundentes, ſi neſcientibus appoſitæ guſtentur. peltæ ſeu teſtę earum Chinenſibus vęduntur, & in Chinam auehuntur.

In Iaua Inſula quoque frequentes *Gattos d' algalia*, id eſt, cati zibethici reperiuntur,

Caticiuet. riuntur,incolis Caſtori dicti. Quorum tamen alendorum non eam induſtriam, quam in Guinea habent,norunt: quorum zibethus quoque illorum longè candidior,elegantior & purior eſt. *Chamæleon.* In *Madegaſcar Chamæleonũ* numerus maximus eſt.

Salamandra. In lato *Antogil* ſinu, Salamandram quandam arbori inſidentem deprehendimus, duas ſpithamas longam,acuto roſtro, magnis oculis, dorſo longo, porrectoglabroque, quatuor acutis vnguibus, imo toto aſpectu horridam,fœdamque. Hæc ad littus portata, in mare proiiciebatur, quo ſe proripuit & abſcondit.

Erinacei marini. In S.Mariæ Inſula duo mercati ſumus animalcula, cuniculi magnitudinem habentia,quorum roſtrum porcinum erat,vt & vox eorum grunnituſque. Corpus eorum erinacei modo totum ſpinis rigebat, quatuor curtis pedibus ſuffultum.Ea tamen valdè ferocia videbantur.Hęc ab incolis in ſalo intra S. Mariæ & minorem aliam Inſulam perfluente captata fuerant.

Feles arboreæ. Ad *Madagaſcar* latus auſtrale,feles plurimæ,Tamarindis victitantes reperiuntur,quę in arboribus illis degunt.Hæ oblongo & tenui corpore ſunt, roſtro acuto,pedibus breuibus, & cauda promiſſa variaque.

Gallinarum duo genera. In Iaua gallinarum duo genera ſunt:quorum vnum noſtratibus ſimile eſt. Alterũ partim Indicos ſeu Calecuticos, partim noſtros vulgares præſentat. Hæc auis mirabilis,& cæteris valdè infenſa eſt. Vnde Indi,ludos exhibituri, nonnunquam duorum horum generum gallos ſelectos ad pugnam immittunt, quam ita feruidè continuant vrgentque, dum eorum vnus in planiciem cadat & expiret. *Indorum ſpectaculum.* Domini, qui huiuſmodi gallos poſſident, multis interdum depoſitis caxis certant,vter gallorum victoriam portaturus ſit. Cuius, qui gallus vicit, is occiſum alterum domum ſecum abripit cum depoſito, & ex eo ſplendidum epulum parat.

Cap. V.

DE ARBORE, EX QVA ARECCA ſeu Fauſel naſcitur. De herba itidem ſeu folio Bettele: & de craſſa arundine Mambus dicta: nec minus de fructibus Mangas, Annanas & Samaca.

Fauſel. QVÆ Arabice *Fauſel*, Luſitanicè *Arequerò*, Malaiice pinam arbor nuncupatur, copioſa in Iaua & locis Indiæ aliis creſcit. Quibus verò regionibus haud naſcitur,in illas fructus eius magna copia defertur,& eo maxima commercia agitantur. Palmæ dactyliferæ modo ſuccreſcit, cuius fructus dactylis quoque non abſimilis eſt: adeò, vt haud inepte hanc genus quoddam Dactyli ſylueſtris nuncupare queas. Nam & ipſa folia cocos foliorum modo longa lataque viſuntur. Fructus huius primò caſſe ſeu inuolucro clauditur, dum floreſcens id ſe paulatim pandat dilatetque. Matureſcente fructu & flaueſcente, capſa illa decidit, & fructus omnis ex pediculo craſſiuſculo oblongoque ſuſpenditur,non tamen eadem vbique magnitudine exiſtens. Alius etenim alio maior minorque eſt. *Ex Arecca, Bettele & calce conditura Indorum panacæa.* Hunc omnes Indi pro cibo habent,& cum Bettele foliis mandunt,quibus nonnihil calcis addunt. Huic edulio in tantum aſſueuerunt, vt ſine illius vſu vitam ſibi inſuauem futuram arbitrentur. Tum viri tum fœminæ toto die miſcellã hanc mandunt. Noctu quin etiam, ſi interrupto ſomno vigilias agitant, ad Bettele ſuum rodendum illico redeunt. Huius vſu gingiuas firmari, ventriculum roborari, appeten-

petentiam cibi conciliari, & vomitionis cauſam tolli, profitentur. Huic enim poſtremo malo vt obuient, ſemper à paſtu Bettele ſuum cum Arecca & calce commixtum addunt.

Bettele piperis modo, aut more noſtratis lupuli creſcit, palis appoſitis, ſe ſurrigens, cum id non poſſit ſurculi ipſius robore, qui tener eſt. Folia piſorum ſunt, viridantia, ex quibus multum quæſtus paratur. Nam nullus propè vicorum angulus eſt, quo mulieres Bettele nõ venum habeant cum Arecca. Extra Sundæ viam inſula quædam ſita eſt, duobus prealtis montibus adeò conſpicua, vt è terræ occidentali parte quoque poſt Bantam videri præeminentes queant. Inſulæ nomen eſt, *Pulo Seueſsi*. Hæc tota *Bettele* fertiliſſima eſt, ſponte ſua prouenientis. Iauani itaque ex illa integras *Paraos* onerant: quæ tamen folia non niſi cum magna difficultate auellunt, cum ipſi nudi ſint, & confine illud creberrimis vrticis conſitiſſimum adiri non facile poſſit. Illis in tantum perſæpè vruntur, vt doloris acrimonia integro triduo non deſæuiat. Huic proxima Inſula alia eſt, & ipſa monte eminentiſſimo celebris, *Pulo Veſsi* dicta: quę dulcium aquarũ proma largiſſima præternauigantibus eſt. His & tertia accedit, rubra, aridaque, quæ vel de longinquo his binis notis ſuis internoſcitur. Hæc ſulphuris feraciſſima eſt. His omnibus *Bettele* vberrimè naſcitur. De Regulis & dominis harum, id auditu ridiculum venit, quod nec ſtent vſpiam, nec ſedeant, quin poſt & iuxta ſe ſeruulos ſuos habeant ciſtelliferos, qui arcula peculiari *Bettele*, *Arecca*, calcem in pyxidula, forcipem ad frãgendum *Arecca* (quod maturum aut vetuſtius areſit, viride tamen mollius eſt, & homines manducantes quaſi inebriat) circumferant. De porrecta ergò hac mixtura ſi quid mandant, primum ſuccum profluum expuunt, qui rubri aut atri cruoris ſimilitudinem habet, poſteà verò longiore maſticatione exuctum liquorem deglutiunt. Summa humanitatis quæ amicis præſtare poſſunt officia ſunt hæc, vt de ſuo Bettele ſibi mutuo communicent & elargiantur. Ad fora profecturi, miſcellam dictam in paſtillos redigunt, quos foliorum loco habeant.

Bettele.

Bettele natales.

Pulo ſeuetſi.

In Iaua Cannæ prægrandes plurimæ naſcuntur, ex quibus plerunque domos ſuas condunt. In hac arundine ſcriptum eſt reperiri Tabaxir, quod rei pretioſiſſimæ loco in Perſia habetur. Eſt autem Tabaxir nihil aliud, quam pinguedo quædam ceu medulla cannæ: quam tamen nobis animaduertere nunquam contigit, etſi Iauanos inſuper ipſos de hac re ſæpius percontaremur.

Canna Tabaxir.

Mangu oppidò probus fructus, promitur ab arbore, nuci noſtrati ſimili, ſpatioſius diffuſa, paucis foliis intecta. Huius arboris fructus, *Mangas* dicti, ex ramulis ſuis dependent, lunæ ferè mediæ modo incuruati, ex viridi flaueſcentes ita, vt limpidè rubeum præmineat, intus flaui villoſique, lapidem intus continentes, ſupra modum ſuaues & ſapidi, menſibus Octobri, Nouembri, Decembri matureſcentes, & vbiuis locorum naſcentes. Hi etiam cum allio & viridi Zinzibere condiuntur. Ita tamen candeſcunt, & loco oliuarum offeruntur. Non tamen vt hæ, æquè amarum ſaporem offerunt, verum nonnihil aceſcunt, eſui haud inſuaues. Hi Mangas d'Achor dicuntur.

Mangu.

D'Annanas fructus pulcherrimus eſt. De hoc multi ſtatuũt, illo pulchriorem & ſuauiorem nullibi enaſci. Fertur à planta humili ſparſaque Azeuar ſeu ſemperuiui Hiſpanici folio non abſimili. Is primum viridis, deinde, ſi maturuit, aureolus, & nonnihil purpurans euadit, intus flaueſcens, & ſciſſu molliculus, odorem fundens propè diuinum, & guſtum maturis perſicis finitimum præbẽs. Ex vino plerunque edũtur. Nam ventriculum valdè refrigerant ob id ſi quidem ſuaues, non tamen æquè ſalutares ſunt. Succo abundantiſſimo turgẽt, tam acri & mordaci, vt ſi quis cultro illum ſecuerit, & hunc non abſterſum vnã noctem reliquerit, craſtino manifeſtè compareat, quam profundè ſuccus cultrum ero-

Ananas, fructus pulcherrimus.

N derit.

ſerit. Ananas ſaccharo condiri ſolent. Fructui huic ſurculus ſeu gemmula quædam duobus tribusue foliis ſtipata connaſcitur, ex qua plantata nouum indiuiduum ſuccreſcit, etſi prius diebus 14. integris abiectum ſpretumque iacuerit. Iſte fructus à Luſitanis primum ex noua Hiſpania & Braſilia in Indiam allatus eſt, vbi iam frequentibus locis feliciter ſuccreſcit.

Samaca. *Samaca* fructus Iauanus eſt, mali citrei magnitudine, ex viridi rubeſcens, ſoporis acidi, interim probè ſucculentus: qui intus grana nigricantia fouet. Folia ferè citri ſunt, niſi quod rotundiora. Fructus haud adeo inſipidus eſt, qui ſaccharo plerunque conditur, & Tamarindorum inſtar contra omnes inflammationes, ardenteſque febres adhibetur. Quin imò & in aceto muriaue aſſeruatur, non ſecus ac piper, allium, Mangas & Zinziber: quomodo parati roborando ventriculo, aluique profluuio & dyſenteriæ multum commodant.

Cap. VI.

DE HERBIS ET FRVCTIBVS IN Iaua naſcentibus.

Tamarindi. TAMARINDOS arbor grandis, procera & latè panſa gignit: cuius folia piſtaciorum inſtar folliculoſa ſunt, ſed tamen oblongiora. Flos eius primò ſubruber inſtar perſicorum aut amygdalarum, prodit, qui póſt tamen albeſcit. Ex hoc filamenta quædam longiuſcula prodeunt forás, ex quibus dein fructus ſuſpenditur. Hic fabarum noſtratium maiuſcularum ferè figuram habet, qui tamẽ tum antè tum póſt non-*Tamarindorum miraculũ.* nihil rotundior viſitur. Quamprimum ſol occumbit, folia orbiculatim ſuum fructum inuoluunt, vt eum à nocturni frigoris iniuria tueantur. Idem ſol ſi manè paulò ſupra Horizontem conſcenderit, tum folia ſe rurſus pandunt & fructum nudant. Tamarindi primò virides, maturi cinereſcunt, ita tamen vt obſcuri ruboris quid reſeruent. Intus lignoſis capſulis prægnantes ſunt. Pulpa autem ipſa interius phœnicea eſt, ſaporem acidum & aſtringentem præbens. In ipſo intus fructu tres quatuorque preſſæ fabæ latitant. Arbores quotannis bis pariunt, in campeſtribus ſponte prouenientes, nulla cura excultæ. Seplaſiarij Tamarindis in ardentibus febribus vtuntur, nec minus in inflammationibus & obſtructionibus hepatis. Hi conditi ſale ad nos in Europam afferuntur. In auſtrina parte, iuxta Inſulam Madagaſcar arborum harum prouentus vberrimus eſt, quæ proceræ pariter & fœcundæ fructus. Vno anno bis ferunt, qui incolis pro commeatu præcipuo ſeruiunt. Hos *Quille* ipſi, Iauani verò *Sumda aſſa* nuncupant.

Duriacõn. Duriacon in Iaua ex arbore noſtratibus pomis altitudine ſimili prouenit. Fructus ſuauis quidem, ſed primo tamen guſtantibus propter odoris vehementiam, qui toſti aut putridi cæpis eſt, aduerſus. Foris, vt caſtanea, aſper eſt, cuius tamen aculei grandiores & quadrangulares ſunt. Quilibet fructus tribus peculiaribus inuolucris intus donatus eſt: quorum quodlibet ſingulare ſuum granum ſeu nucleum continet. Fructus hic eorum omnium, quos India vniuerſa profert, & optimus & ſapidiſſimus & ſaluberrimus à quibuſuis cenſetur. Diu tamen non durat, ſed horarius eſt: ideoque breui eſitandus. Idem in *Baly* quoque & Malacca vberius prouenit.

Lantor. *Lantor* Iauana arbor eſt, cuius foliis Indi pro papyro vtuntur. Eſt autem *Lantor* ex genere *Cocos* ſeu nucum Indicarum. Folia eius viri longitudine aut maiore

maiore ſunt; *Cannas* Hieroſolymitanas referentia, tam læuia, plana & æqualia, vt ſtylo in iis literæ exarari queant. Ex his foliis ſibi libros conſuunt, ita, vt folia æqualiter longa ſumant, & eadẽ intra duo ligna tranſuerſa compingant. Quamuis præter hanc papyrum quoque aliã habeant, quam ex arboribus deradunt: iſtam tamen non alios in vſus vertunt, quam vt ea merces & aromata, & his ſimilia inuoluant.

Cubebæ. *Barbrut quid?*

Cubebæ in Iaua quoque ad littus *de Sunda* creſcunt: quæ ibidem *Couciombi & Cumuc*, in Malaya *Cuba Chini* nominantur. In Sunda illarum ſaccus vnus ſeu *Barbrut*, libras 56. pendẽs 6000. aut 7000. caxis emitur, ſi pretium ſummum ſit. Hæ, in non culta, ſed ſponte in ſyluis enata arbore, pomo noſtræ ſimili, racematim vuarum more proueniunt, ita tamen, vt ſuus cuique pediculus peculiaris ſit. Iauani incolæ, priuſquam fructum hunc vendant, decoquunt, ne ab eo extranei quoque ſpeciem illam tranſplantent.

Mangoſtans.

Mangoſtans fructus generoſus, prunorum ſylueſtrium modo creſcit, cuius arboris quoque altitudinẽ habet. Eius in Iaua magna abundantia. Guſtu aſper, nihilominus tamen pergratus eſt.

Talaſſe. *Piper.*

Talaſſe herbæ Iauanicæ nomen eſt, Malayca lingua *Lalade* dictæ. Ad hunc vſque diem nullus in ea vel flos vel fructus notatus eſt. Ea herba Iauani ad cibos variè vtuntur: viridem etiam nonnunquam edunt, & ea vim genitalem excitari foueri que perſuaſum habent. Piper in Iaua copioſe enaſcitur, & menſibus Septembri Octobriq; matureſcit, à quo tempore in Bantam defertur. Ibi Iauanica lingua *Sahang*, Malaica *Lada* nominatur. Cum cæteris fructibus ipſum aceto imponunt, & ex eo Achar conficiunt, ſicut alio loco dictum eſt.

Iaca.

Iaca fructus cucurbitæ magnitudine eſt, in Iaua potiſſimum ex ſummo arboris apice non ex ramis enaſcens. Foris viret, & aculeis crebris riget: intus flauet, lapillis ſeu nucleis totus refertus, qui toſti ad alui fluxum ſiſtendum promptam medicinam præſtant. Fructus mucoſus eſt, lentus, villis plenus, & coctu difficilis.

Fructus in Bally eſt, pyrorum noſtrorum magnitudine. Eius cortex ſeu pellis inſtar piſcis ſquamarum aſpera eſt: intus ipſe albens, aſtringens, & nucleũ ferens vnum vel alterum. Hic adhuc nomine caret.

Arbor ſine ramis.

In minore Inſula S. Mariæ præaltæ arbores ſine foliis ſeu ramis naſcuntur, iis arboribus ſimiles, quas Palmitas vocitant. Ex huius caudice fructus emergit, facie exteriore Ananas ſimilis, pulcher aſpectu, colore flaueſcens, intus nucleis Granatorum ſimilibus turgens, cuius interiora valdè guſtui dulcia obueniunt: cætera verò duriora & inutilia ſunt.

Myrobalani.

In eadem Inſula elegantes quoque Myrobalani naſcuntur, qui ibi Aretca vocantur. Hi ſubrubri ſunt, nucleo grandi inſignes. Guſtati os fauceſque non ſecus ac piper exurunt. Ibidem alius quoque rotundus fructus fertur, Melonibus ſimilis, ex proceris arboribus enatus, cortice duro lignoſoque veſtitus, intus verò multis viſcoſis latiſque fabulis plenus. Hæ aluum ſumptæ laxant.

Præter hos iterum alius ibi fructus eſt, noſtratibus pyris ſimilis, foris coloris cęrulei, intus ſubſtantiæ viſcoſæ.

Pariter & fructum habent, noſtris pomis parem, cuius color aureus eſt. Hic intus nucleis q. meſpilorum plenus eſt.

Caſſia fiſtula.

Iuxta littus de Sumatra & Pulo Carcata ingenti copiâ Caſſia fiſtula ſeu ſolutiua in ſyluis tam feliciter pronaſcitur, vt ea integræ naues onerari poſſent. Quam tamen incolæ non colligunt. Arbores proceræ & latè fuſæ ſunt, ex quibus fructus inſtar viridium aut cæruleorum ceraſorum oblongorum propendet. Hic ſi maturuit, ſubrubet.

Cinnamomum ſyluestre. In Iaua, iuxta littora Sundæ, Cinnamomi agreſtis magna copia fertur. Eius quod tenerrimum eſt, id optimum cenſetur. Nam reliquum nullum peculiarem ſaporem continet, ſed vt lignum aliud ſapit. Hoc Malayca lingua *Caiumains* vocatur. Ibidem fructus etiam alius prouenit *Carcapuli* dictus, valdè acerbus, magnitudine ceraſi. Arbor ceraſorum ſimilis eſt. Illius fructus varij generis eſt. Alius enim albicat, alius purpurat, alius alio colore valet. Omnes tamen guſtatui valdè ſuaues ſunt.

Cap. VII.

DE ALIIS PORRO FRVCTIBVS Iauanis, vt & de Melonibus.

Coſtus Ind. COSTVS Indicus in Sunda reperitur; & *pucho* vocatur, intus albicans, foris virens. Habet craſſitiem digiti, & ſuauiter olet. Magna copia in Malaccam importatur. Sed & à Chinenſibus abundè auehitur.

Calamus. Calamus & ipſe in Sunda & vicinis Inſulis prouenit. Malaycè *Dirimgo* vocatur. Hunc Chinenſes etiam multis ponderibus auehunt.

Macropiper. Longum piper in Iaua, nempe in Panarucan & Bantam vberrimè creſcit. In Sunda Chiabe appellatur. Nondum maturum, viride eſt: maturum, rubrum & grandiuſculum eſt: tandem arefactum nigrum euadit & rugoſum. Primates in Bantam ipſum loco piperis rotundi vſurpant. Pretij optimi eſt.

Zerumbeth. Zerumbeth itidem Iauanum eſt, in Sunda numeroſè enatum: quod Malaycè & Iauanicè *Canior* nuncupatur. Id zinziberi ferè ſimile eſt, niſi quod folia longiora latioraque ſint. Radix reſecta & ſiccata ſaccharo conditur: cuius vſus præſtantior & commodior, quam zinziberis.

Galanga. Galanga in Sunda & Baly prodit, altitudine bicubitali: Ab incolis Lancuas nominatur: cuius folia & flores florem *Lis* æmulantur.

Crocus Ind. Crocus Indicus ſiue Curcuma, à Luſitanis *Saffran da Terra* nominatur, ob hanc cauſam, quod indigenæ eum vice croci veri ad condiendos cibos frequenter vſurpent. Malaycè *Cunhet* dicitur. Natales eius ſunt in *Sunda, Madagaſcar,* & Indiæ locis complurimis. Virentis nullus certus ſapor propter abundantem humiditatem ſentitur. Reſiccatus verò acreſcit, non tamen eò vſque, vt Zinziber exæquet.

Fagara. Fagara, fructus cubebarum aut piperis magnitudine, tenero cortice veſtitus eſt, intra quem tenui nigraque membrana granum vnum inuoluitur, refrigerato pectori & ventriculo, imò etiã aluo fluenti, apprimè commodum. Nam Cubebarum more & ſiccat, & calefacit.

Taccamaca gummi. *Gummi Taccamaca* ex praua quadam Inſula ſinus patentis de procera arbore colligitur, quæ foliis longis & anguſtis tegitur, & fructum promit prunorum magnitudinem habentem. Gummi hoc candidum, odorum & pretioſum eſt.

Lacca. *Lacca* in Bantam venditur, quô ex *Tolonbauan* in Sumatra ſita infertur. Ibi Lacca à quodam muſcarum genere circum ramulos maiorum arborum ſtudioſè & copioſè congeritur & innectitur, & *Caiu Lacca* vocatur. Venditio eius fit *Pico*, quod pondus Chinenſe librarum centenarum eſt.

Melones aquat. In Iaua Melones aquatici naſcuntur, qui fructus ſuauis, ſubuiridis, intus candidus, formam cucurbitæ oblongioris habet. Hic ab incolis pro ſingulari ferculo refectorio his apponitur, quibus fauent. Nam ſuaui ſua refrigeratione

vires

vires corporis exhauſtas blandè reficit & reducit. Hi per vniuerſã Indiam *Batiec* vocantur.

Beniuyn lauanum copioſè in *Baros* & *Speriamen* (quæ duo loca in Inſula Sumatra intra orientem & occaſum verſus Inſulam *Bancam* ſita ſunt) ſuccreſcit. Hoc *Mignan & Comignan* appellatur. Candidum Beniuyn eodem cum caxas lauano pretio diuenditur, ita vt vnum cum altero æquè appendatur. Nigrum autem in triplici pretio eſt. Huius genus quoque quoddam eſt, *Beniuyn amendoado* dictum, quod villoſum eſt, & optimum, placentæ ex contuſis amygdalis confectæ non diſſimile, viliſſimum in Palmibam Sumatræ colligitur. *Beniuyn.*

Camfor alias *Cafur* in Bantam reperitur, quo ex Baros infertur forma candidorum orbiculorum ſeu placentularum. Sed & ex *Borneo*, *Bandrmachen* & *Laue* aduehitur, magnitudine ſeminis milij, aut ouorum formicarum, quod genus omnium optimum habetur, & auidè à Chinenſibus emitur. Hoc ad pondus, *Cate* dictum, venditur. *Camphora.*

Santalum rubrũ citrinumque in ſyluis Iauæ naſcitur. Album verò quod optimum cenſetur, illuc à *Timor & Solor* importatur, quæ binæ exiles inſulæ verſus ortum Iauæ accubant. Hoc quò arbor craſſior, eò carius æſtimatur. Album quidem etiam in Iaua naſcitur. Huius tamen odor facilè vaneſcit. In prædictis Inſulis, cum caxas in pretio nullo ſint, Chinenſes venditoribus pro ligno merces & Larnis reponunt. In parte auſtrali meo iudicio ſantalum optimum denſiſſimumque reperiri liceat, quod Indi metu ventorum validiſſimorum & furentium tempeſtatum illic diu ſubſiſtere non audeant, cum tamen nihilominus à parte illa ſinus pateãt ampliſſimi. Santalum in Bantam pondere pico venditur. *Santalum.*

Zinziber mira vbertate in Iaua prouenit. Ibidem tamen nullum ſiccant, ſed vniuerſum ſaccharo condiunt, & ſuis cibis adhibent. Idem quoque copioſè in ſinu *Dantogil* apud Inſulam *Madagaſcar* naſcitur, vbi *Saquauiro* nominatur. Malaycè *Aliaa*, Iauanicè *Ganti* appellatur. Hoc corbibus prægrandis foro inferri ſolet. *Zinziber.*

Anacardium in Sunda forma cordis prodit, colore rubrum, nec tam oblongo collo, ac illud quod in Malauar prouenit, porrectum. A Luſitanis *Faua de Malacca* ideo vocatur, quod fabæ quadam tenus ſimile ſit. *Anacardium.*

Podi farina ſeu floſculus eſt, quo flatus ventris craſſos frigidoſque exigunt. *Podi.*

Pao de Cobra, lignum ſeu radix, Luſitanis ita vocata, in Sunda prouenit. Hæc omnium venenorũ antidotus eſt certiſſima, ſiue id à ſerpẽtum morſu, ſeu potu ingeſtum ſit. Amara ea eſt. *Pao de Gobra.*

Floërs in Bantam reperitur, vbi *Caxumba* nuncupatur. Eo in condiendis cibis, & goſſypinis veſtibus tingendis vtuntur. Eo quoque copioſè ex Inſulis *Macaſſer & Cambaua*, quæ omnes opportunæ nauium ſtationes ſeu portus ſunt, adducitur. In Bantã *Cate* appenditur, quæ 20. vnciarũ eſt, id eſt, *Caxas* millenorum. *Floërs.*

Cap. VIII.

DE VARIIS HERBIS ET SEMINIBUS IN SUNDA INUENTIS.

CAIV Api lignum calidum adeò eſt, vt guſtantium fauces exurat. Hoc in ſcobem comminuunt & puluerem, quo poſteà corpus inungunt. Haud magno pretio venditur. *Caiu Api.*

Cautior fructus eſt, frequenter ipſorum cibis adhiberi ſolitus. Hic in Guinea vberrimè prouenit, boni pretij. *Cautior.*

Samparãtaon. *Samparantaon* radix valida & amara, in Sunda naſcitur. Vili pretio ea venit.

Poutiou. *Poutiou* ex Malacca importatur ex Choromandel. Hoc tam carum eſt, vt cate vnum 3000. Caxas veneat. Abigendis febribus celebre eſt.

Gato Gamber. *Gato Gamber* fructus oliuis aut Areccæ ſimilis, in Cambaia & Choromandel creſcit, nec minus in Sunda. Pretio vili venit, & dentiũ doloribus medetur.

Ganti. Ganti radix eſt, vt zinziber, in Sundam ex China allata. Caram eam faciunt Indi, quod illa corpora ſua infucent.

Sabanh pute. *Sabanh Pute*, ſeu piper album, in Sunda & ipſum prouenit, reliquis generibus & viribus & guſtu ſimile, his tamen paulò exilius. Eius vſus in pharmacopoliis præcipuus.

Saltem aliquibus in locis ad Malauar, Malacca, Sumatra & Sunda, idque minore copia naſcitur.

Saſani. Saſani ſemen eſt ſinapis. Magna copia & bono pretio in Sunda emitur.

Doringi. Doringi magna copia vili pretio emitur. Ex hoc potiunculam parant, quam recens natis infantibus illicò propinant.

Galam. Galam radix aquatica eſt, valdè refrigerans. Vili venit.

Tianco. *Tianco* fructus eſt, quem tundunt, & cum aliquo liquore bibunt, quoties male habent. Ibi copioſa eſt.

Madian. *Madian, Maiu, Coraſſani*, ex ciuitate Dachem, verſus aquilonem Sumatræ Inſulæ ſitam eò importatur: qua ad acuendam gulam & ciendam facilius ebrietatem vtuntur. *Spodium.* Spodium in Sunda fit. Hoc foris corpus inungunt. Ex arbore id quadam exurunt, & vili pretio vendunt. In prouincia etiam quadam Perſiæ, Chirman creſcit, vbi cuminum quoque nobiliſſimum reperitur, quod Malaycè *Ienatnyeran* vocatur, & ex Ormus in Dachem, porroque in Bantam profertur. Qua ex cauſa magni quoque valoris eſt, & plerunque cum *Madian Maiu* vſurpatur.

Daon tuio. *Daon tuio* ſiue ſeptifolia. His vtuntur aduerſus omnes contagioſos alui profluxus, quibus colica & dolores intenſiſſimi coniunguntur: qua lue, quia nudi oberrant, frequenter inuaduntur. Haud magni valoris eſt.

Ficus. In *Mayo* Inſula, quæ vna ex viridibus eſt, ſub poli eleuatione grad. 15. verſus aquilonem ſita, arbores quamplurimas latè & ſpatioſè diffuſas, ſycomoroque ſimiles, reperimus: quarum tamen folia his nonnihil minora erant. Fructus ficubus ſimiles ferebant, flaueſcentes, paruoſque, ſine nucleis aut granulis repertos. Caudex, rami, cortex, fructus, lacteus ſuccus, & acrimonia foliorum, hæc omnia cum ficubus conueniebant. Fructus tamen nunquam plenè matureſcit. Arbores tamen ita feraces, vt fructibus carere nunquam conſpiciantur. Cum ſemen in fructu nullũ ſit, ex eo enaſci non poteſt: ſed mororũ noſtrorum modo inſeritur. In regione quadam circa *Cabo de Bona eſperanza* ad ſinum *Anguada* *Semperuiuum Aloëticum.* *Sanbras*, ingentem vim, imò integros campos *Azeuar* ſeu ſemperuiui plenos offendimus, altitudine ſtantis viri proceri, vt è longinquis terræ incolas arbitraremur. Hæc herba eſt, ex qua coloni Inſulæ *Sacotoræ* Aloën, Sacotrinum dictam, conficiunt. Ea tum eſt optima, ſi pinguis, ſine ſordibus, arenis aut lapillis aut reſplendet, aut ſubrubet, & inſuper plena, denſaque & hepatis inſtar duriuſcula ſit, facileque liqueſcat, & amariſſima ſit. Aloë ſcorbutum curat, vel educit, & ſtomachum roborat.

Sary. *Sary* flos ſeu pollen eſt, quo corpus inungentes, contra ventorum vim ſe tutos aſſerunt.

Tagary. Tagari radix, in *Nanpon* ſeu Sumer ad littus Sumatræ naſcitur. Hæc pro lauando & mundando corpore paratur.

Surahan. Surahan, vili pretio venditur.

Sedouuaya. *Sedouuaya* in Iaua emergit, vili pretio proſtãs, & oblinendo corpori idonea.

Samba-

Sambaya Malays ex China eò infertur, vbi *Geiduar* vocatur. Glandis magnitudine eſt, carum, & paratu difficile. Tum pro oblinendo corpore facit, tum pro morbis pellendis aliis quoq;, & pro extinguendis venenis, & iobolorum ictibus curandis. *Sambaya Malays.*

Ialaue arboris cuiuſdam fructus eſt, magnitudine glandis, quem infirmi potiunculis commiſcent. Hic paratu facilis. *Ialaue.*

Parauas herba refrigerans, magni æſtimatur, morbis ardentibus opportuniſſima. *Parauas.*

Tomonpute radix, Galigan ſeu curcumæ ſimilis eſt, albicat, & ad illinēda corpora facit. Suauiter etenim refrigerat, & inflammato hepati confert. *Tomonpute.*

In Sunda planta ſeu frutex eſt, cuius folia Tamarindorū ſunt, amariuſcula. Fructus eſt vt fabæ Romanæ, ſed duplo longior, *Queillor* vocatus. Hoc in cibis vtuntur valdè ſalutari. *Queillor.*

Fabarum genus quoddam, vt in Sunda; ſic vniuerſa Madagaſcar, nec minus in China progignitur, quod Abrus Latinis, Malays *Conduri*, Iauanis *Saga* vocatur. Fabæ paruæ, pulchræ rotundæque nigra ex altero latere macula tinctæ ſunt. Harum vſus ſolis præſtandis ponderibus addicitur: cibis nullis induntur, cum virulentum quid habere credantur. *Conduri ſeu Saga.*

In Sundę via ad *Pulo Cercata* nucum genus quoddam eſt, tum formâ tum magnitudine gallis ſimile: quæ guſtatæ auellanarum ſaporem fundunt: breui tamen tempore hominem in eas anguſtias præcipitant, vt ſibi iam iam moriendum ceſcat. Quibuſdam perſuaſum eſt, hanc nucem eſſe vomicam, quæ cuiuſdam veneni particeps ſit. Id & nos experti atteſtari poſſemus. Nam niſi tumultuariis & repentinis remediis noſtratibus, qui guſtârant, ſuccurriſſemus, euentum experti eſſent minimè optabilem. *Nux vomica.*

Agallochum ſeu lignum Aloës in regionibus Malacca, Sumatra, Cābaia & Seylon creſcit. Optimum *Calambat*, Luſitanica verò lingua *Pao Daguila* nuncupatur. Id ponderoſiſſimum grauiſſimumque eſt, fibris nigris purpureiſq; interſperſum: quod igni obtentum, pinguedinem quandam exudat: cuius itidem facultas cum quadam amaritudine aſtrictoria eſt. Odorem gratiſſimum expirat. Idem, quo grandius aut craſſius, eo maioris æſtimatur. Ab vſu eius fœtor animæ, & imbecillitas ventriculi tollitur. *Agallochum.*

Garro Malaicè, Luſitanicè *Aquila brauo*, lignum Aloës tenerius eſt, quod non tanti cum priore aut pretij aut roboris eſt. Idem in ſupradictis quoq; locis naſcitur, vt & in Iaua. *Garro.*

QVAR-

QVARTA PARS QVAE EST
VERA DESCRIPTIO POSTREMÆ NAVIGATIONIS, AB HOLLANDIS IN INDIAM ORIENTALEM SVSCEPTAE:

QVI CIRCA VERnum tempus Anni 1598. cum octo nauibus è patria ſoluentes, tandem menſe Iulio Anni 1599. cum ſaluis quatuor nauibus feliciter appulerunt.

Cauſa denuò reparata claſſis.

Quando ſoluerit.

POSTQVAM Anno 1595. à præcipuis aliquot & ditiſſimis in Amſtelredamo mercatoribus, quatuor inſtructiſſimæ naues in Indiam Orientalem expeditæ, reditum non vſquequaque optatum, & voti principio conuenientem expertæ eſſent: hac de cauſa bono conſilio & animo mota illa ſocietas, fortunæ aleam feliciorem tentare ſtatuit. Claſſem itaque fortiorem munitioremque, nauibus octonis conſtantem vice altera inſtruxit & amandauit. Hæ vno animo ventoque die Maij primo ex *Texelia* ſoluentes, felici curſu menſe ſeptimo apud Bantam Inſulæ Iauæ ciuitatem applicuerunt, poſtquam in medio itinere notatu & commemoratu dignum ſingulare nihil feciſſent, aut ex perti fuiſſent: niſi quod cum *Cabo de Bona Eſperanze* exuperaſſent, & non admodum procul ab Inſula *Madagaſcar* iam vela facerent, nauem quandam vidiſſent, quam primo aſpectu Zelandicam arbitrati eſſent. Iſta naues noſtras q. ex inſidiis obſeruabat, cum nos è longinquo hoſtes eſſe crederet. Poſt tamen cum vexillum Hollandicum attendiſſet, pleno gaudio ad nos vela contorſit, cuius nos nomē *Langhe Berck* eſſe intelligebamus. Vicinior ergò iam illa obteſtata ſubmiſſè eſt, vt ex noſtris nauibus ſelectis viris aliquot ſibi ſuccurreremus, cum lue pars illorū maxima iam dum periiſſet, & vix in tota naui ſeptem perſonæ probè valerent, quam plurimi infirmi ſupremum ſpiritum iam iam traherent. Addebat quin etiam, prioris noctis inuſitatis concitis procellis per denſiſſimam caliginem ſocios ſuos reliquos diſiectos eſſe. Sed hæc de naui illa obiter, & ex data occaſione.

Calamitas obuia nauis langhe Berck.

Reditus ad hiſtoriam.

Claſſis dirempta procellis.

Iam ergò ſciat beneuolus lector, naues noſtras octo indiuiſas vſque ad *Cabo de Bona Eſperanze* procurriſſe: quo loco earū aliquæ conſpectui noſtro ereptæ, & aliò abreptæ fuerunt. Quæ commorabantur naues tres erant: prima Oueryſſel alias quoque *Duyfken* ſeu Columbula dicta, quæ claſſis minor celox erat. Altera, *Hollandia*: Tertia, *Mauritius*. Quinque reliquæ aliò diſiectæ euanuerant: quas tamen poſtmodum in Inſula quadam appuliſſe cognoueramus, quam *Iſolam de Don Galopes* credebamus. Noſtri tamen eam Mauritij Inſulam tum vocitabant. Ibi ergò quinque illæ naues in portum incurrerunt, quem vice Almirantis nomine *Waruuick* appellarunt, qui nauibus ſtationē commodam miniſtrabat

ſtrabat. Inſula ea gradibus 20. à linea verſus auſtrum iuxta *Madagaſcar* deflectit, quæ magnitudine ſua Hollandiæ non inique comparari queat: quæ deforis quidem altiſſima putatur, in interiore tamen loco multa planicie patet, arboribuſque frequentiſſimis proceris conſita eſt, quæ nihil niſi verus ebenus ſunt. Lignum hoc intus picis modo nigrum eſt, tam læue vt politum ebur. Eodem quoque loco aues plurimæ inueniuntur, tam grandes, vt geminos cygnos æquent. Has *Walchſtocken* ſeu *Walckuegels* nominabant: quarum carnes eſu haud incommodæ erant. Sed cum pariter ibidem magna copia Columbarum & Pſittacorum appareret, quæ adipoſæ & manſu ſuauiſſimæ eſſent, ſocij noſtri grandioribus faſtiditis, delicatiores & teneriores aues elegerunt, & ęrumnas ſuas illarum mactatione diluerunt. Coruorum quoque & piſcium ibidem tantus apparatus erat, vt ſociorum duo ſaltem, naues quinque vniuerſas commeatu inſtruere neceſſario poſſent.

Inſulæ ſitus.
Ebenum copioſum.
Aues grandes, Walckuogels dictæ.
Columbæ pſittacique frequẽtes.

In hac ipſa Inſula teſtudines quoque tam vaſtas inuenimus, vt noſtrum decem in vna teſta conſidere & epulari poſſemus. In maris littore ceram quoq; legimus, noſtra multis gradibus candidiorem. Hæc à ſole ita candefacta nitebat. Hæc, vt diximus, cera, à nobis in littore inueniebatur, in quam Arabicas quaſdam litteras impreſſas obſeruabamus, vt ſuſpicio nobis oriretur, in hiſce finibus aliquando nauem Arabicam merſam periiſſe, quæ ceram hanc deuexerit: Quam maris impetus in littus deinceps compulerit. Ibidem quoque corallij multum, & palmites frequentes reperimus, quæ arbores ſunt, vinum extillantes, non ſecus ac arbores Cocos.

Teſtudines portentoſæ.
Cera candidiſſima à ſole.
Corallium.
Palmites.

Inſula verò iſta nullis hominibus habitata videtur. Nam etſi nos longa meta in terræ penetralia immiſiſſemus, hominum tamen veſtigia nullibi comparebant. Ideoque in rei & noſtri monumẽtum, ædiculam illibi extruere viſum eſt: cui ſuggeſtum concionibus faciendis aptum applicuimus. In hoc cum exaratas quaſdam literas, tum librum pſalmodicum, tum Biblia impoſita reliquimus. Et cum dulcis aquæ copia nos ſufficienter inſtruxiſſemus (quæ ibi & paratu facilis, & potatu ſaluberrima occurrebat) velis factis, locoque deſerto, fortunam vlteriorem, experiri aggreſſi ſumus. Commemoratum ſuperius eſt, in claſſis diſiectione tres ſeorſim coniunctas naues cohæſiſſe. De illis præcipuè ea omnia intelligenda veniunt, quæ hactenus recenſita ſunt.

Hæ in Inſula S. Maria ante ſinum grandem *Santangil* appulerunt. Illic loci pro commeatu neceſſario præter oryzam pauculam nihil impetrare poteramus, quam populo pinſendam diuidebamus. Coacti ergò fame eius loci Regulũ captiuauimus, qui pretium redemptionis vaccam cum pingui vitulo ſtipulabatur. Hæc Inſula nullius rei proma erat, cum tempus commodum iamdum effluxiſſet. Aurantiorum ſolus flos comparebat. Limonia pauco numero relicta erant. Cannæ tamen aliquot ſaccharinæ cum gallinis pauculis & rebus aliis parabiles fuerant. Inter cætera incolæ bina vel terna aurantia nobis promebãt. Quod nos inter alia autem reficiebat, ſpectaculum id erat, quod nobis incolæ in captandis balænis exhibebant. Hi Canois ſuis excurrebant, quo loco balæna moraretur, attentum. Ad exploratum itaque propius acclinantes, ferreum hamum in corpus eius extorquebant, qui oblongo fune, ex corticibus arborum torto religatus erat. Hoc fune in nauibus conſiſtentes tractu violento piſcem ita lancinabant & laſſabant, dum tandem vnda eius cruore tincta plus ille eneruaretur. Balæna ergò his vinculis coërcita, vi ſibi per aquam eruptum validiſſimum moliebatur. Quod animaduertentes barbari, impetui ipſius cedentes funem tandiu remittebant, dum eius extremitas nouiſſima Canois adhæreſceret. Quo facto balæna prorſum fluctuans, Canoam cum piſcatoribus, facilimè quocunque protulit ſeu protraxit. De hoc tamen Indi nihilum angebantur,

Hollandorum ſtrategema.
Iucundum ſpectaculum captura balænarum.

ſed ob ſummam natandi peritiam confidentes durabant. Tuni ergò trahendo nihilominus ſtudebant gnauiter, & ea opera piſcem tam laſſum & exhauſtum reddebant, dum ſemimortuus ſui amplius non compos eſſet. In breuia deinde extractum, partitumque, diuidebant: de quo, quantũ cuiuis opus erat, auferebat. Nobis quoque huius carnis ad lubitum ſumendæ copia erat: quæ tamen adeo pinguis & oleoſa fuerat, vt eam nec edere poſſemus, nec eius quicquam auferre vellemus.

Poſtea verò ad dictum patentem ſinum vela promouentes, rectà infra Inſulam S. Mariæ anchoras fecimus, vbi dolia noſtra dulci aqua recompleuimus. *Indi ductoris electio.* Qui nobis ductor erat Indus Madegaſcar vocatus, cum hîc ſubſiſtere iuberetur, recuſauit id, ſignificans, illius loci ſibi cognitionem non eſſe, & malle pariter veſtitum nobiſcum pergere, quam domi nudum crebris laboribus obteri & eneruari.

A primo egreſſu noſtro ad Cabo de bona Eſperance vſque bonæ cereuiſiæ *Potus mutatio.* nobis copia ſuppetebat. Iſto verò iam loco aqua potari cœpta eſt, binis indies vitris vini plenis tamen additis: quæ diſpenſatio ad noſtrum dein vſque in Hollandiam reditum durauit. Scapham ergò noſtram per dulcis vndæ flumen impulimus, ſurſum perrecturi, ſi forſan ad noſtram refectionem quid nanciſci liceret. Nam incolæ ſuis nutibus ſigniſque nos, vt retrocederemus, iubere videbantur, quaſi illîc loci commeatus nihil reperiretur. Nihilominus tamen periculum rei certius facturi, ad tria vſque milliaria portendimus, nec quicquam tamen noſtris vſibus obuium animaduertere potuimus, ſicut ab incolis prius in- *Bellum inteſtinum.* dicatum fuerat. Huius verò inopiæ cauſa bellũ erat, quod breui elapſo tempore Reguli iſtorum locorum acre inuicem commiſiſſent, & quoquouerſum omnia vaſtaſſent obtriuiſſentque, adeò vt incolarum plurimis fame & defectione moriendum eſſet. In conflictu illo Regulus alter cæſus occubuit. Ibi cum diebus quinque ſubſtitiſſemus, viam noſtram Iauam verſus legere occœpimus: vnde breui ſpatio deinde cum tribus nauibus in Bantã conſedimus. Prima nauis *Nomia nauium & officiariorum.* erat prætoria, *Mauritius*, cuius patronus erat *Gouert Ianſſ*, Factor vero & Curator Cornelius Heemskerk: Gubernator præterea *Kers Collen de Munnikedam*. Qui reipſa multoties ſe artis peritiſſimum prudentiſſimumque gubernatorem nobis comprobauit. Hic tamen poſteà dyſenteria obiit, cum in reditu non longè à S. Helenæ Inſula abeſſemus. Secunda nauis *Hollandia* erat. Huius patronus *Simon Lambertz* ſiue *Simon Mau*: Curator autem Dominus *VVte Nyn*; qui ante Bantam fato functus, ſucceſſorem deinde *Ian Ianſſ Smit* accepit. Tertia celox *Ouer Yſſel* alias *Duyſken* erat, cuius patronus *Simon Ians*, Curator autem *Arent Hermanſſ Alcmarienſis*. Supremus verò Almirans, Dominus *Iacob de Nec* fuerat, cuius imperio cæteri omnes parebant. Tot naues ergò noſtræ circa veſperam ſeram in Bantam deüenerunt die 26. Decembr. An. Chriſti. 1598.

Quam primum in terram egreſſi eramus, omnem, ad amicitiæ conciliationem apud Bantanos firmandam, occaſionem captauimus. Cum illis ergò Cornelius Heemskerck primus commercari tentauerat, quia nomine & titulo *Hollandorum criminatio.* mercatorum eò quoque appuliſſemus. Incolæ verò arbitrati nos eoſdem eſſe, qui breui anteà inde ſoluiſſent, & iſto dierum interuallo in alto mari latuiſſent: aperto murmure nos prædones nuncupabant. Cui crimini diluendo cum in- *Abdol Hollandorum interpres.* terpretem nobis quendam Indum *Abdol* nomine conduxiſſemus, noſtro ex medio quoſdam ſelegimus, qui nos de intentata iniuria apud Regem purga- *Holl miſſis muneribus ſe Regi purgant.* rent. Hi facilè admiſſi, Bantanorum Regi, adhuc infanti, ſua ſecum allata dona offerebant, quæ ſupremus Gubernator ſeu officiarius Regius, *Cephate*, Regis nomine cum gratiis ab illorum manibus ſumebat. Hæc vero munera erant: Grãde poculum cum patella inauratum, faſces aliquot holoſerici, & pannorum

aliorum

aliorum ſericorum vitrea inaurata ſpecula aliquot, cum ornamentis aliquot cæteris. Proferebant etiam literas ſeu diplomata Belgij ſtatuum, & principis Mauritij ſigillo amplo munita: quæ ab Indis, humi repentibus magna cum reuerentia accepta & lecta ſunt. Hoc itaque deinceps pacto firmata & ſtabilita amicitia, libera nobis poteſtas facta eſt, pro lubitu agendi & mercandi. Die ergo illico tertio quartoque ab acceſſu noſtro emptis mercibus onerare naues cæpimus, ſtatuentes, hoc negotium quinque ad ſummum diebus omne confectū dare, vt mercibus omnifariis & iuſto pondere nauibus illatis, poſteà hinc ſoluere poſſemus. Inibi cum quatuor integris ſeptimanis commorati eſſemus, quinque à nobis pridem diſiectæ illæ naues applicuerunt ibidē, ita, vt octonarum numerus iam iterum compleretur. In illis tamen plerique infirmi erant, & in itinere 35. viri obierant. Hæc ergò inſperata noſtrorum conuentio quanto omnibus gaudio fuerit, dicere nihil attinet profuſius. Hoc ſaltem commemorare viſum eſt, quod tū tormentorū diſploſione, tum crebra & mutuò inſtituta conuiuatione magnam ærumnarum ſuam partem molliuerint & diluerint. Accedebat his candidus fauor & ſumma Bantanorum beneuolentia, qui indies ad naues noſtras ingentem copiam gallinarum, Ouorum, Cocos, Bonanas, cannarum ſacchararum, placentarum itidem ex oryza piſtarum, vini etiam Chinenſis ſumma adfectione prouehebant. Quod ſuum ſtudium quoque ſine intermiſſione crebris diebus continuabant. Et cum ſtannum apud eos propter raritatem in magno pretio eſſet, pro vno cochleari tantum ab iis eſculentorum accepimus, quantum vni viro ad ſui ſuſtentationem integra ſeptimana ſufficeret. Res quoque alias cum iiſdem permutauimus, pro quibus, quicquid poſtulabamus, recepimus.

Holl. voti compotes fiunt.

Diſiectæ 5. naues Hollandicæ tribus iterum iunguntur.

Bantanorum in Hollandos ſtudium.

Quod verò narrationis occaſione *Abdol* noſter ſignificaſſet, plures ex Hollandia naues adhuc venturas, id ad rem non eſſe noſtram, liquido experti ſumus. Hinc enim factum eſt, vt, cum anteà omnia boni pretij eſſent, pro libris 55. piperis primò quidem tres, deinde verò quatuor Regales octonorum pendendi eſſent, nec quiſquam quicquam aliud, quam 4. Regales octonorum ſonaret. Tum etiam apud ipſos merces noſtræ non tam acceptabiles ac pecunia fiebat.

Hoc loco admonendus eſt lector, quod præter tres dictas naues, quarta etiam alia Hollandica in Bantam ſteterit, nempe celox maior, *Vriesland* dicta, cuius patronus Iacob Cornelis, curator *Wouter Willckens* vocabatur. Hæc & ipſa mercibus vnà nobiſcum onerabatur Indicis. Hæ ergò quatuor naues cum onere ſuo probè inſtructæ eſſent, & diſceſſus veniam impetraſſent, vela inde facientes rectà in Sumatram procurrerunt, vt recenti aqua dolia complerent, cum Bātana mollior eſſet, & in vermes tandem abiret. Hic pro cultris, cochlearibus, ſpeculis, crotalis, aciculis & ſimilibus, res varias ab incolis receperunt, & præter eas omnifarios quoque fructus, vt Melones, Cucumeres, cæpas, allia & piper, quod ipſum quidem exiguum, ſed valdè tamen bonum erat.

Vriesland celox maior.

Holl. ex Bantam iterum ſoluunt.

Paucis diebus antè quam diſcederemus, quatuor aliæ quoque naues inde ſoluerant. Harum Almirans ſeu præfectus *Wybrandt de Waeruuyck* vocabatur. In naui Amſtelredamo patronus erat *Claes Ianſz Melcknap*, & Vicealmirans *Iacob Heemskerck*. In *Gelderland* naui patronus *Ian Bruyn*, & curator *Hans Hendrickſz Bouvver*. In *Seeland* naui patronus *Ian Cornelиſz*, & curator *Adrian Veen*. In naui *Sticht* de *VVtrecht* patronus *Ian Maertſz*. Hæ naues ipſa nocte cū tātò bombardarum fragore & tonitru ſoluerunt, vt omnis Inſula cum vniuerſa Bantā tremeret & concuteretur, ipſique incolæ præ ingenti trepidatione ad arma concurrerent. Sed hæc ab Hollandis in gratiam & honorem Bantanorum ſaltem fiebant. Harum vero nauium ſolutione audita Iauani haud mediocriter gauiſi ſunt, quod tam validarum octo nauium præſentiam ſibi haud leui periculo eſſe poſſe pro-

Officiarij nauium quatuor cæterarū.

uidiſſent. Itaque, dum adhuc ibi morarentur, indies de illarum profectione quæritabant, & ad hanc maturandam magna copia merces accumulabant.

Iā hoc loco quatuor de noſtris naues omittā, quę in *Moloquos* curſum ſuum deflexerunt. Quas vt cum gaudio & gratulatione in Hollandia ſaluas omnes iterum videamus & ſalutemus, Dei gratia faxit.

Inſula S. Mariæ. Porrò ex Sumatra nos quoque vela mouentes, Inſulæ S. Mariæ ſucceſſimus, ad quam octiduum ſubſtitimus. In hac ædem ſacram cum pauculis caſulis offendimus, in qua imago S. Helenæ cum aquæ conſecratæ aheno & penicillo erant. Quæ omnia inuiolata relinquentes, nomina ſaltem noſtra in rei memoriam ibidem deſignauimus. Hæc Inſula, vt Iohan Huygen cōmentatur, tum capreolis, tū apris gallinis tū ſyluestribus, tū perdicibus, tum columbis, & aliis plurimis animantibus abundat. Quę tamen à cōtinenter applicantibus ibidem hominibus, tormentorū indies diſploſorum fragore ita fugantur, vt nobis captu difficiles eſſent. Quod ſiquidem capras aliquot glandibus traieciſſemus, propter indictam tamen rupium crepidinem earum copiam habere non licuerat. Nec piſcium captura tam felix erat, vt ad votū noſtrum faceret. Recētis tamen aquæ tantum inuaſauimus, vt eius vſque in Hollandiam nullus defectus eſſet.

Peter Glyſbertſz violator exponitur. In hac Inſula quendam comitum noſtrorum ex celoce maiore, *Peter Glyſbertſz* expoſuimus, quod Patronum nauis illius pulſaſſet. Quem etſi noſtra interceſſione libenter pœna iſta exemptum accuraſſemus: attamen, quod cum reliquis ipſe quoque in articulos, qui prælecti erant, iuraſſet, in exemplum & terrorem aliorum hanc eiectionis pœnam ſubire coactus fuit. Ne tamen in extrema vſque pericula à nobis deſertus illicò abiret, panes ipſi aliquot, & oleum cū oryza impertiuimus. Quin etiam ad captandos piſces, hamum, & ad figendas feras, cum pyrio puluere ſclopetū donauimus. His factis ab eo diſceſſimus, ſpem nobis bonam facientes, eum à quibuſdam aliis illic prætereuntibus nauibus breui ſuſceptum & vindicatum iri.

Holl. Texeliā appellunt. Hinc fortunato vento ſucceſſuque in Texeliam appulimus, die 19. Iulij Anno. 1599. De quo feliciter exacto itinere Deo æterno laus & benedictio in ſecula ſeculorum ſit. Iure autem ſucceſſum felicem ſeu fortunatum dico: quia nauibus quatuor coniunctis & indiremptis perpetuo vſque in Hollandiam rediuimus, nulla calamitate ſollicitati, niſi quod nauium vna breuiis ferè impegiſſet, & malus vterque nauis Mauritij aliquantum inclinauerit: qui tamen breui ſpatio ſibi reſtituti fuerunt. Quin etiam metus quidam, ſed panicus erat, vt in finibus Terceræ inſulæ obuia claſſe regia interciperemur, cum longo itinere iam omnes imbecilliores eſſemus. Meritò ergò de ſucceſſu tam proſpero deo ingentes gratiæ habendæ ſunt. Nam, ab omni Hollandiæ memoria nullæ naues tam ſplendidè & opulenter onuſtæ cum tanta felicitate ibi portum ingreſſæ ſunt. *Cenſus mercium allatarū.* Nam onera piperis continebant 400. Garyophyllorum verò onera 100. Præter aliquot onera nucum muſcatarum, Macis, cinnamomi & aromatum ſimilium. In Bantam mercator quidam erat, *Saſemolouke* nominatus, qui patre Caſtiliano natus erat. Hic ſolus non multò minus quam onera 100. piperis nobis vendiderat. Cui cum certa ſententia nobiſcum in Hollandiam nauigandi ſtaret, cauſis tamen nonnullis obſtantibus, decretum exequi non licebat. Verebatur enim hoc facto Regem offenſum iri: qui ob id bona eius publica propediem facturus eſſet. Hic ſubligaculo holoſerico indutus quotidiè erat.

Tempus itineris. Totum hoc noſtrum iter menſibus 15. citius exegimus: ita vt ſeptem menſes prius, quam è Texelia in Bantam veniremus, inſumerentur. Ibidem, dum naues onerarentur, ſeptimanæ ſex effluxerant. Menſes ſex reditus à Banta in Hollandiam detriuit: adeò vt omnium ſuffragio ſingulari Dei clementia & fauore iuti, tam longam metam, milliarium ſcilicet 8000. (ſi aditum & reditum conferas)

feras) tam anguſto & breui tempore confecerimus. In ciuitate Amſtelredamo & omni illa regione maximum de hoc felici reditu gaudium ſuſcitatum apud omnes eſt. Hinc etiam feſtinum nuncium huiuſce rei ad diſiectiſſimas regiones diligenter accuratum eſt. Tandem mercatores & officiarij iſtarum nauium in continenti Texeliam profecti ſunt, vt neceſſaria omnia accurarent, & reſiduum populum luſtrarent.

Via quantitas. *Iubilaum propter reuerſas naues.*

Illarum Curator *Cornelius Heemskerck & Henricus Buyck* curſum ſuum recta ad Mauritium principem flexerunt, vt eum non ſolum feliciter confecti itineris optato nuncio impertirent, verum etiam literas Regis Iauani cum donis & honorariis valdè pretioſis eidē exhiberent. Tum temporis nullus vſquā alius quam de 4. ditiſſimis nauibus reuerſis, inter homines ſermo ferebatur.

Abdol ille, quem priores naues ex Bantam ſecum auexerant, & Amſtelredamum attulerant (vbi hactenus probo & victu & amictu enutritus erat) hic reuerſus ad ſuos, in Iaua articulatim de omni ſucceſſu, harum rerum & regionum ſtatu naturaque interrogabatur. Qui ob id, omnia quæ viderat & audiuerat, diligenter expoſuit: nempe quod vltra 1000. trahæ cum equis hyberno tempore per glaciem procurrerint: quod itidem vltra 2000. homines, tum pedites, tum equites ſupra aquam ambularint, qui trium horarum ſpatio tantum iter emetiri poſſint, cui alias non ſufficerent decem. Quæ cum ita *Abdol* denarraſſet, & corollarij loco, ſe quoq; ipſummet in perſona iſtiuſmodi traha, cuius equi vectores tympanis & crotalis eleganter exornati fuiſſent, deuectū eſſe, addidiſſet: fidem hanc auditoribus ſuis firmare non potuit tamen, tantum noſtrarum regionum frigus eſſe, vt in tam firmam glaciem coiret aqua, quæ tantis oneribus poſteà ferendo eſſet.

Abdol ad ſuos reuerſus, illis incredita narrat, de Hollandia ſingularibus.

Porrò commemorabat ipſis etiam, quòd Hollandia libera prouincia eſſet, in qua quilibet ſibi dominus, nec vllus *Catyff*, id eſt, nullum mancipium ſeruiret. Deinde ſingulas ædes, palatia & arces eſſe, altiſſimè extructas, & intus ornamentis innumeris exculptas, ad ſpectationem ſtuporem vſque pulcherrimas. Templa itidē tam ſpatioſa & diffuſa eſſe, vt vniuerſæ ciuitatis populum omnem caperent. Hollandos quin etiam cum ſuis confœderatis perpetuum cum Rege Hiſpaniarum bellum gerere, cuius tamē ad vim & arma alias vniuerſi Europæ Magnates trepidarent. Quod bellum illud nunc integris 20. annis ſtrenuè continuatum, adeò tamen Hollandorum vires non attereret, vt ex eo tum populis, tum immenſis diuitiis quotidie accreſcerent & roborarentur. Percēſebat quoque pręter ipſorum credulitatem, regionem hanc talem eſſe, quę quaſi Oceano innataret, cuius terram indigenæ ligni loco perſępè vſurparent: cum & ipſe multoties apud ignem ex terra illa ſuccenſum incaluiſſet, & dapes ad illum induſtriè & lautè coqui ſuis oculis vidiſſet. Imò regionem illam omnem aquoſam eſſe, quæ tam maiores quā minores naues ferret, quibus omnes quatuor mundi cardines adire poſſent.

Prænominatus *Abdol Catyf* ſiue mancipium fuit, cuius nos vxorem & liberos in maxima egeſtate viuere, & in cauea quadam ſtabulo porcino deteriore habitare vidimus. Hic tamē noſtra ope manumiſſus & in libertatem vindicatus eſt, etſi nullo ſuo merito ad hoc officium nos pellexiſſet. Per improuidentiam ſiquidem aut malitiam factum eſt, vt ementibus nobis piperis pretium augeretur: quod nūquam factum fuiſſet, niſi aduentum Zelandicarum nauium & earum quæ poſt nos reſtites erant, propalaſſet: & hoc addidiſſet, apud nos piper in tanto pretio, & æſtimatione multo maiore exiſtere.

Abdol Catyf ab Hollandis in libertatem aſſertus.

Madagaſcar autem & Lourens, cum ſinui *Santangil* vicini eſſemus, terram ſuam adire non magnopere optabant, ſed nobiſcum nauigare, quam vitam degere tam egenam in patria malebant.

Luſitanorum legatio & dolus. Quatuor circiter menſibus antè quam in Bantam nos appuliſſemus, Luſitanorum potens Legatio cum triremibus aliquot & carauellis (*Fuiſten* dictis) à Regio Gubernatore in Goa conſidente, & iis, qui in Malacca ſunt, emiſſa fuit, vt petitionem ſuam quam anteà pridem Bantanis notam feciſſent, impetrarent & confirmarent. Quem in finem etiam iam pridem, illuſtria & magnifica dona iis obtulerant, vt nimirum deinceps cum Hollandis nulla commercia agitarent. Hæc vt iam repeterent, & ne dona ſeu munera ſua fruſtranea eſſent, ad Bantam denuò applicuerunt, quorum præfectus, ex *Goa Don Louuys* N. ex Malacca verò *Don Emanuel*, N. conſtituti erant. Bantam verò obſidendi & occupandi animo ventitabant, etſi ad excindendos pyratas, qui ex Hollandia recens aduenturi eſſent, & elapſo anno ſuis graſſationibus pleraque vaſtaſſent, ſe veniſſe prætenderent. Quo velo nihil tamen aliud quærebant, quā vt vel nidum illum occuparent, vel caſtra illic ſua metarentur. *Luſitanorum inceſtuoſa libido.* Petulantiæ ſiquidem nihil non exercebant: incolarum fœminas vi conſtuprabant: & nihil inauſum, nihil intactum relinquebant: adeo, vt tot eorum iniuriis Bantani cogerentur tumultuariè triremes promptas, & reliqua belli neceſſaria clāculum accurare, quibus inſperato *Luſitanorum proteruia vindicata.* eos inuaſerunt, & nihil opinantes ſecuroſque obtruncarunt. Nam & illorum manibus tres triremes armatas excuſſerunt, ſibique ſubegerunt cum nauibus multis quoque aliis: & prætereà viros 300. occiderunt, centumque & 50. captiuos fecerunt, mancipiis illis exceptis, quorum ad 900. fuerant. Reliqui Luſitani *Luſitanorum malitia commodo fuit Hollandis.* fuga ſibi ſalutem quæſiuerunt. Qui an omnes Goam aut Malaccam redierint, dubitari poteſt. Strages hæc ingentis inter Luſitanos & Bantanos diſſidij cauſa fuit: quæ tamen noſtram cauſam eò plus promouit & felicitauit. Captorum Luſitanorum, & iam mancipia factorum nos ipſi poſteà multos in plateis oberrantes conſpeximus.

Die 27. Almirans cum Hollandia naui apud Amſtelredamū appulit, cum octo tubarum ſtrepitu aut impulſu clariſſimo. Quem ciuitas vino honorario pro more donauit, & campanæ ciuitatis omnes in eius gratulationem impulſæ ſunt. Quin etiam omnis vnda nauiculis & ſcaphis ad prouiſendum Almirantem oberrabatur, dum tandem cum præfecto is illuſtri pompa & ſolemni proceſſu in ciuitatem abductus eſt.

Breuior & compendioſior huius nauigationis deſcriptio.

ANNI 1598. Maij 1. diuinæ gratiæ auſpicio cum octo nauibus ex *Texelia* ſoluimus.

Maij 3. Angliam præternauigauimus, vbi Regiæ maieſtatis claſſem inſtructiſſimam conſpeximus: quæ in ſalutationem & honorem noſtri tormenta aliquot diſploſit: cui nos æqua gratia reſpondimus.

Maij 14. Inſulam *Porte Santo*, ſub gradu 32. ſitam, vidimus.

Maij 16. Inſulas Canarias proſpeximus.

Maij 22. Primos volantes piſces obſeruauimus.

Maij 23. Inſulas ſalis præteruecti ſumus.

Maij 31. Crebris tempeſtatibus & ſæuis procellis concuſſi, nonnihil inuicem diſiecti ſumus, ſub veſperam tamen diuino ductu reconuenimus.

Iunij 8. Lineam æquinoctialem tranſcendimus.

Iunij 24. ad breuia Braſiliana deuenimus, grad. 18. à linea æquinoct. verſum auſtrum ſita.

Iulij 21.

Iulij 21. promontorium, *Caba de bona Eſperanze* tenuimus.

Iulij 30. ad Aug. 2. terram, *Cabo* adiacentem adhuc conſpeximus.

Aug. 7. & 8. Tempeſtate turbulentiſſima proculcatis nauibus, quinq; earũ diſiectas deſiderauimus, quas ad *Bantam* iterum cum gaudio vidimus.

Aug. 26. *Madagaſcar* Inſulam prouidimus.

Aug. 29. Nauis *Langeberck* ex Zelãdia nobis ſe iunxit, in qua homines ſani 9. defuncti 10. & cæteri omnes infirmi fuerant. Hæc eadem nocte à nobis iterum diſpulſa eſt.

Septemb. 7. Inſulam *S. Mariæ* adiuimus, ex qua rectà in ſinum magnum procurrimus: & hinc porrò iterum die 16. Septembr. ſoluimus, curſum in Iauam tenentes.

Octob. 1 Faſtigium ciuitatis *Bantam* proſpeximus.

Octob. 15. primus omnium è noſtratibus in naui *Almirante* obiit.

Nouembr. 19. *Sumatram* proſpeximus.

Nouembr. 29. Apud Bantam applicuimus.

Nouembr. 30. Ciuitatis gubernatori vectigal pendimus, & ſub veſperam calendarum Ianuarij naues onerare cæpimus.

Anno 1599. quinque naues noſtræ, quas amiſeramus, ante *Bantam* nobis ſe iunxerunt: ad quarum appulſum ingens hominum multitudo ad littus ſe effudit, cum ciuitas ſuſpectas technas aliquas haberet, & tot nauium aduectarum cauſam admiraretur.

Ian. 8. naues quatuor in *Molouken* ſoluerunt.

Ian. 11. Noſtræ 4. naues ditiſſimè onerat ex *Banta* ſoluerunt.

Ian. 13. Inſulam *Sumatram* occupauimus.

Ian. 19. *Sumatram* reliquimus, & curſum noſtrum promouimus.

Febr. 19. Nauis *Almirantis* gubernator magno noſtro luctu & dolore obiit.

April. 3. Terram *Cabo de bona Eſperanze* vidimus.

April. 8. *Cabo* præterlegimus, curſum in *S. Helenæ* Inſulam feſtinantes.

April. 26. Illam tenuimus.

Maij 4. Ex *S. Helenæ* Inſula ſoluimus.

Maij 10. Inſulam *Aſcenſionem* præteriuimus.

Maij 17. Lineam æquinoctialem tranſmiſimus.

Maij 21. Polum Antarcticum iterum vidimus.

Iunij 10. & 11. Inſulas Canarias proſpeximus.

Iunij 27. mare Hiſpanicũ ingreſſi ſumus; ita vt die. 29. grad. 44. teneremus.

Iulij 4. Naues binas ante, & vnam poſt nos notauimus, quæ primæ à longo tempore nobis viſæ ſunt.

Iulij 6. maior malus *Almirantis* ſe inclinauit.

Iul. 11. *Sorles* præternauigauimus.

Iul. 13. *Vaelmuyen & Pleymuyen*, vt & *Kiſkaſſen* prætercurrimus.

Iul. 17. *Doueren* venimus.

Iul. 19. poſt impetuoſum ventum & crebras pluuias, diuina fauente gratia patriam noſtram *Texeliam* redadiuimus.

NAVIGATIONIS FINIS.

ICONES
SEV
GENVINÆ ET EXPRESSÆ DELINEATIONES EORVM OMNIVM, QVÆ IN HAC QVARTA INDIÆ ORIENTALIS DEſcriptione ſingularia offeruntur:

Vbi peregrinorum quorundam animalium, arborum, fructuum, plantarumque, &c. alias non viſorum viua effigies exhibetur.

QVÆ OMNIA ET SVMPTVOSIS IMpenſis, & opera accurata in æs inciſa, publicæque luci communicata ſunt

à

IOANNE THEODORICO ET IOANNE ISRAELE DE BRY fratribus & ciuibus MœnoFrancofurtenſibus.

FRANCOFVRTI,

IMPRIMEBAT MATTHÆVS BECKER.

ANNO

M. DCI.

MEMORABILIS ET MISERABILIS HISTORIA NAVTÆ CVIVSDAM, apud Cochinum à graſſatore immani piſce quodam fœdè mutilati & diſcerpti.



AVCTOR *libri huius inter cætera meminit, quomodo pridiè eius diei, quo ex* Cochino *ſoluturi erant, clauum ſeu gubernaculum emendatum & reſartum puppi nauis rurſus innexuri fuerint. Cum ergò poſcente re nauta quidam, lumbis fune recincto alligatus, ad medium vſque corpus in vndam ſe demitteret: de improuiſo grandis & vaſtus piſcis, quem* Luſitani Tubaron *ſiue* Hayen *nominant, approperans, pendentis nautæ pedem arreptum vno morſu integrum demolitus auulſit. Cuius ille relictum truncum cum manu admota tacturus eſſet, mordicus inſiſtens beſtia, manum eandem prætereà corripuit: quam totam cum dimidio bracchio immaniter vno q. momento eidem detruncauit: vt ſemianimis exemptus, in noſocomium inferendus fuerit.*

In hiſtoriæ huius cap. 4. mirabile quoque aliud animal, à piſcatoribus in aqua captum nominatur. Huius ipſius effigies quoque hic ſpectanda offertur.

II.

DE GRANDIBVS ADEO ET VASTIS CANCRIS, VT HOMINES QVOque obtruncare & vorare potuerint.



IN proximè dicto capite naufragij cuiuſdam mentio fit, ad breuia quædam commiſſi: cuius tamen periculum incolumes vniuerſi effugerint. Inſtante ergò infortunio collatis ſententijs ab vniuerſis decretū eſt, vt ex confractæ nauis reliquijs nauiculam minorem conderent, qua retro in Indiam commearent. Pro decreto itaque opus aggreſſos, vaſtorum & immanium cancrorum tam frequens multitudo in arena operantes adorta eſt, vt effoſſis ſcrobibus, valliſque quibuſdam extructis, & ijſdem diligentibus excubiis cuſtoditis contra vim intentatam ſeſe tueri cogerētur. Tantæ enim molis & vaſtitatis erant, vt quoſcunque prehenderent, illicò opprimerent conficerentque, niſi vi iuncta illorum chelis rurſus excuterentur.

III.

QVOMODO HOLLANDI IN MAVRITII INSVLA INGENTES TEſtudines inuenerint.




CVM Hollandicæ naues An. 1598. in Indiam expedirentur, in tranſitu Inſulam quandam, Mauritij dictam, occuparunt: quæ teſtudines peltatas tam grandes ferebat, vt ſuper vna duo inſidentes Hollandi, non ſecus ac ne minimũ graues, citra omne impedimentum longè proferrentur. Illarum nonnullæ ad eam vſque magnitudinẽ creſcunt, vt in vnius auulſa teſta decem viri commodè ſedere & epulari potuerint.

In eadem Inſula pſittacorum columbarumque numerum quoq; maximum repererunt, tam cicurum, vt fuſtibus eas proſtrauerint. Sed & aliæ ibidem aues viſæ ſunt, quas VValckuögel Batavi nominarunt, & vnam ſecum in Hollandiam importarunt.

RPJCB

IV.

QVA INDVSTRIA BARBARI IN S. MARIÆ INSVLA CETOS capiant.



INDI S. Mariæ inſulæ accolæ, cetos hoc ferè modo captant. Vbi morentur, prius attendunt. Ad proditum vnum ſcaphis ſuis applicant: & vnius lapidis iactu abſiſtentes, hamum ſeu vncum ferreum, oblongo ex arborum corticibus fune religatum, in corpus eius eiaculantur. Altera ergò funis extremitate in ſcaphis retenta, piſcem tamdiu attrahunt, dum & penitus longo exercitio ille fatigetur, & reniſu valentiore vulnus augeatur grandeſcatq́;, iſque adeò cruoris copioſioris emanatione infirmetur & q. emoriatur. Hoc impetrato, in vadum eum extrahunt: extractum laniant: & ſuam quilibet portionem auferunt.

RPJCB

Plate VII

copper of VII. Text IV.

IV.

QVA INDVSTRIA BARBARI IN S. MARIÆ INSVLA CETOS capiant.



INDI S. Mariæ inſulæ accolæ, cetos hoc ferè modo captant. Vbi morentur, prius attendunt. Ad proditum vnum ſcaphis ſuis applicant: & vnius lapidis iactu abſiſtentes, hamum ſeu vncum ferreum, oblongo ex arborum corticibus fune religatum, in corpus eius eiaculantur. Altera ergò funis extremitate in ſcaphis retenta, piſcem tamdiu attrahunt, dum & penitus longo exercitio ille fatigetur, & reniſu valentiore vulnus augeatur grandeſcatq́;, iſque adeò cruoris copioſioris emanatione infirmetur & q. emoriatur. Hoc impetrato, in vadum eum extrahunt: extractum laniant: & ſuam quilibet portionem auferunt.

RPJCB

V.
QVO PACTO IAVANI GALLOS GALLINACEOS IN PVGNAM committant.



SINGVLARI *Iauanis voluptati eſt, gallos educatos in conflictum pugnamque inſtituere. Quoties enim familiaritatis gratia conueniunt, tum inter cætera plerunque ipſis contentiuncula naſcitur, vter eorum pugnaciſſimum & bellicoſiſſimum gallum alat. Certa quoque pecunia interdum depoſita, de ſui galli victoria concertant. Quo facto, quilibet ſui galli pedibus calcaria in hunc vſum fabrefacta innectit. Sic ergò hi armati, ex oppoſitis in publico locis committuntur. Qui confeſtim congreſſi, tanta alacritate & pertinacia depugnant, vt eos humano more q. quadam victoriæ laude inflammari exiſtimare queas. Nec duellum deſerunt remittuntue prius, donec alter alterum confecerit & obtruncarit.*

Hac ipſa quoque icone Gatto Dalgalia ſiue catus zibeticus depingitur. Similiter & animalculum aliud quod plerunque in Tamarindorum arboribus degit, cuius fructibus victitat.

VI.
EFFIGIES ILLIVS ARBORIS, QVAM TRISTEM VOCANT.



ARBORIS quoddam genus in India notiſsimum eſt, quod ſingulare dei miraculum iure appellari queat. Arbor triſtis ideò dicitur, quod vniuerſi anni decurſu floreat, ſed non niſi noctu. Interdiu etenim flore nullo conſpicua eſt, quamdiu ſol illud hemiſphærium occupat. Is vbi primũ occubuit, ſemihorulæ illico ſpacio arbor floribus candidis tota turgida ſplendet: qui tamen vniuerſi derepente iterum decidunt, quam primum ſub auroram ſol proditurus eſt, adeo, vt ex illis ne tantillum quidem in arbore reliquum fiat. Et hac viciſsitudine toto anno variatur.

VIII.

DE AVE, EEME DICTA, ET ANIMALIBVS QVIBVSDAM INDIÆ aliis.



IN India paſſim, præcipuè verò in Inſula Iaua aues quædam raræ & admirabiles viſuntur, quas incolæ Eeme vocitant. Hæ ſtruthiocameli magnitudine ſunt, lingua carent, & cauda, alaſque exiles habent. Robur earum in pedibus ſitum eſt, quos longos & robuſtos oſtendunt. Hæ, quicquid apporrigitur, integrum vorant, ſeu poma, ſeu oua, ſeu aliud his ſimile ſit. Quod ipſum dein, vt ingeſſerunt, ſic crudum nihilque mutatum aluo reddunt.

Iuxta has appictus quoque bubalus eſt: vt & Chamæleon, & ſalamandra, quæ in Madagaſcar frequens inuenitur.

IX.

AVIVM QVARVNDAM, VT ET PISCIVM NONNVLLORVM, NAuibus in Indiam currentibus nonnullibi occurrentium, delineatio.



QVAE in Jndiam naues commeant, his in tranſitu inſolitæ quædam volucres prouiſuntur, quales ſunt Garayos, gallinas noſtrates æquantes. Volucres itidem Rabos de Iuncos dictæ: quibus nigris cauda longa, & in forficis modum diducta eſt. Hanc volando modò dilatant, modò aſtringunt. Sed & varij piſces occurrunt, vt Albacores, Bonitos & ſimiles. Præcipuè tamen plurimi volantes piſces ibi ſunt, qui à piſcibus reliquis maioribus inſectati, extra aquam ſe eleuant auolantque. Hi tamen volantes à modò dictis auibus plerunque intercipiuntur & vorantur.

RPJCB

X.

DE HERBIS QVIBVSDAM ET AVIBVS ALIIS, IN INDIAM NAVIgantibus ſeſe offerre ſolitis.



NAVIGANTIBVS in Indiam mare nonnunquam herbas quaſdam in ſuperficie vndarum obnatantes, offert, quas Trombas indigetant: quæ nihil aliud quam arundines cum ſuis radicibus in Oceano fluctuantes æſtimari debent. Sed & herba alia Sargaſſo dicta obuenit, quæ maiuſcula & acutis folijs in ambitu inciſis herba prouiſitur.

Volucrum quoque inibi certum quoddam genus ſolenne eſt, quæ totæ atræ ſunt, roſtris modò albentibus, modò cinereo colore tinctis. Aues hæ, vt & arundines Trombas certo inditio ſunt, nauigantes Cabo de bona eſperanſe iam tenere proximè. Nec in vllo alio vſpiam loco, quam hoc, conſpici ſolent.

RPJCB

XI.
FICVS INDICAE CVM SVO COQVOS FRVCTV, NEC MINVS IL-lius arboris, quæ Arecca fructum gignit, pictura.



EX hac palma ſeu nucifera arbore Indica indigenæ quæſtum longè vberrimum faciunt. Præterquam enim quod nuces pro cibo ſuaui ſint, potum quoq; ex ijs parant ſapidiſſimum. Ex arbore hac materiam quoq; Indi quærunt ad parandas neceſſarias veſtes, ad ſuenda vela, torquendoſq; funes, & reliqua huiuſmodi condenda plurima: adeò, vt & victum & amictum illis vnica hæc arbor abundè ſuppeditet.

Hac quoque tabella ficus Indica expreſſa eſt, quæ toto anno fructifera eſt, & Indis commeatum quotidianum largitur.

Tandem & Arequeiro arbor appicta eſt, quæ fructum Arecca ſeu Fauſel parit, quem Indi cum Bettele folijs, calce obiter delibutis toto die mandunt, ſicut in hiſtoria fuſius id explicatum eſt.

RPJCB

XII.
DE ALGA SEV ARVNDINE INDICA, BAMBVS DICTA, ITEM DE arbore radicoſa: & tandem de arbore Duryoens.



ARVNDINIS *quoddam in India genus prouenit, quod Indi Bambus vocant, craßitiem femoris virilis occupans.*

Arbor quoque alia ibidem prouenit, Arbore de Rays .i. de radicibus nuncupata, è cuius ramis filamenta plurima deſcendunt, quæ terram attingentia illi ſe denuô inſinuant, & radice sagentia ramos vicißim alios ſurſum parturiunt, qui & ipſi latius propagati tandem arborem conſtituunt, ambitu ſuo quartam partem milliaris vnius complexam.

His quoque iunctim appicta cernitur alia quædam arbor, quæ fructum Duryoens dictum fert, in ſola Malacca cognita. Fructus iſte à guſtantibus fructuum omnium, quos vniuerſus terrarum orbis gignit, longè optimus & ſuauißimus cenſetur. De qua re vberius hiſtoria euoluatur.

JCB

XIII.

DE ARBORIBVS CAYOS ET IAMBOS FERENTIBVS, ET DE FRVctibus quibuſdam aliis.



HAc pictura duæ arbores exprimuntur, quarum vtræque ferendo optimo fructu prænobilis eſt. Horum optimus & pulcherrimus Jambos indigenis appellatur: cui Cayos bonitate natiua cedit nonnihil.

Hic inſuper quoque ſpectandum exhibetur, quo pacto nimirum piper ſuccreſcat, lento incremento arundinem Bambus amplexa ſe ſurrigẽs.

Denique & Crocus Jndicus additus eſt, cum flore natiuo: qui per omnem paſſim Indiam vulgaris eſt.

RPJCB

XIV.

ADVMBRATIO ANANAS, BETTELE, PALMÆ DACTYLIFERÆ, SAmacæ & Mangos.



HI omnes fructus Indici ſunt, eſui valdè ſuaues & commodi: ex quibus Ananas cæteris & ſaporis & odoris ſuauitate palmam præripit.

Adiuncta eſt imago Bettele herbæ, vt nimirum ea proceris arundinibus innixa piperis modo aſſurgat eleueturque: à quo propter exquiſitam ſimilitudinem ægrè diſcerni interdum poteſt. Bettele verò illa ſunt folia, quæ Indi, fœminæ potiſſimum, toto die ruminant cum fructu Arecca, ſicut hiſtoria planius expedit.

RPJCB

XV.

IDEA LANTOR, ASSA, PIMENTA DEL RABO, TALASSE, MANGOſtans, & Piperis.



LANTOR è Coquos ſeu nucum Indicarum claſſe eſt, folia proferens porrecti viri longitudine, quibus Papyri loco indigenæ vtuntur. Pimenta del Rabo ſeu cubebæ, vuarum modo in arbore quadam proueniunt: quas Indi in tanto habent pretio, vt non niſi coctas eas in terras alienas exportent.

Simul addita arbor Tamarindi ſeu Aſſa eſt, vt & herba Talaſſe, in Iaua celebris: nec minus fructus alius Mangoſtans, & rotundi nigri piperis in Iaua prodeuntis, quod Sahang incolæ vocitant.

XVI.

ALIARVM QVARVNDAM ARBORVM ET FRVCTVVM INDICOrum delineatio.



IAACA fructus, non vt cæteri, ex ramis arboris tenuioribus, ſed ex ipſo trũco, aut huic quam viciniſſimis ramorum craſſiſſimorum partibus, ſicut & palmites, prodit.

Tabulæ inſerta quoque eſt fructus alterius effigies, qui maxima in Baly Inſula copia prouenit, pomi ferè magnitudine, inferius rotundus latuſq;, ſuperius in acumen q. dehiſcens, foris aſpera & ſpinoſa pelle inductus: qua cauſa à Luſitanis erinaceus vocabatur. Qui ſi condiatur, nauigantibus & ſalutarem & durabilem commeatum præſtat. In arbore procera racematim, vuarum modo prouenit.

Acceſſit & figura maioris Mirambolam, quem alias Aretca indigetant. Hic in S. Mariæ Inſula celebris eſt.

JCB

XVII.
DE CARCAPVLI, CANELLA DE MATO, ET CASSIA SOLVTIVA.



ARCAPVLI, prouentu ſuo Inſulam Sundam nobilitans, fructus eſt cераſi magnitudine.

Canella de mato vbere copia paſsim in ſyluis Iauæ gignitur, nec aliud quam Cinnamomum ſylueſtre eſt. Saporem nullum ſingularem habet. Tenerior tamen cortex aliquantò ſuauior eſt. Caſsia ſolutiua abundanter in Sundæ arboribus quibuſdam proceris & latè patentibus naſcitur: ſicut ex tabula luculentius videre eſt.

RPJCB

XVIII.

DE LANCVAS, FAGARAS, LACCA ET CVCIFRVCTA.



IN Bali, Iaua, & Sunda, fructus præter hos dictos alius quoque emergit, quem Galangam maiorem ſiue Galigam nominant. Domeſticum eius nomen Lancuas eſt.

Fagaras, in Sunda celebris, Cubebarum facie eſt, foris cortice obductus.

Cucifructa, cum ſua arbore hic appicta eſt: vt & Lacca, à Malaÿs Caiulacca dicta, quæ copioſè in Barros & Tolonbauan naſcitur.

RPJCB

XIX.

DE ALOE, MANGVEY, MEXICANO ET SYCOMORG.



ALOE ſeu ſemperuiuum magna copia in Agua de Sanbras reperitur, altitudine ſurgens viri vnius ſurrecti.


Manguey arbor, alio nomine quoque Metl nuncupatur. Hæc ex Mexico primum enata eſt.

Sycomorg in Mayo Inſula creſcit, ficui ſylueſtri non omninò diſsimilis. Fructum fert omni ſemine caſſum.

RPJCB

XX.

EXOTICORVM QVORVNDAM AROMATVM EFFIGIATIO, VT CANIOR, Diringuo, Pucho & Chiabe.



IN India alia quoque plura enaſcuntur: inter quæ Coſtus eſt Indicus, Malaijs Pucho dictus, aroma odoratiſſimum. Item, Calamus aromaticus, alias Diringuo nominatus, in Sunda copioſè naſcens.

Porrò & piper longum additum eſt, quod in Iaua prouenit, eius incolis Chiabe dictum. Hoc, qui primates ſunt, ad cibos condiendos potiſſimum vtuntur, quod illud ſpeciebus cæteris ſalubrius eſſe perſuaſum habeant.

Acceſſit & Zerumbeth facies expreſſa, à Malaijs & Iauanis, reſiccatum ipſum in Chinam exportare ſolitis, Canior appellatum.

RPJCB

XXI.

EXPRESSIO GERMINVM QVOQVE ALIORVM, IN S. LAVRENTII Inſula, & locis aliis quoque naſcentium: quorum nomina literis alphabeticis deſignata ſunt.



A. ARBOR *quædam eſt, in ſummo ſaltem cacumine frondes minimas parturiens. Ex hac Canoas ſuas incolæ extruunt.* B. *Huius Hollandi frequentem copiam inuenerunt: cui ſua lingua Blatterlos nomen indiderant, quod expreſſam nullam foliorum ideam præferret. Semen profert ſquamoſum. Ramuli eius tenerrimi pro ſcorbuti curatione haud infeliciter adhibiti ſunt.* C. *Frutex eſt, Luſitanis Camarinnas dictus. Folia equiſeti ferè habet, ſed uberius purpurantia. Fructum profert paruum, baccas nimirum exiles rotundaſque, unionum æmulas, guſtatu acidas.* D. *Stipites ſunt ſpinoſi, pugni craſſitie ſuccreſcentes, altitudine haſtæ longioris ubiuis prouenientes. Cortice veſtiuntur craſſo, nigricante, aculeis pleniſſimo. Quorum aſpectus ob raritatem mirabilis eſt, cum ſine omni & folio & fructu prodeat.* E. *Cannæ ſaccharinæ ſunt, in Inſula S. Maria naſcentes.* F. *Zinziberis naſcentis imago eſt.*

FINIS.

36928



J
De Bry
SV
pt. 4
1601
Let
cop. 2